

E.26. num. 75.
1976, 7

HISTORIAM IVRIS CIVILIS
ROMANI
DE
**DONATIONIBVS PROPTER
NVPTIAS**

398
AVCTORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN ALMA VIADRINA

PRO
CONSEQUENDIS SVMMIS IN VTROQVE
IVRE HONORIBVS
PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT
CHRISTIANVS ALEXANDER VIVIGENTZ
A WINTERFELD
EQVES VCAROMARCHICVS IN GVERTERBERG
ET FALCKENHAGEN.

AD DIEM NOVEMBRIS MDCCCLXXVI.
IN AUDITORIO ICTORVM HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

HISTORIAM IURIS CIVILIS
ROMANI
ET
DOWATIONIS PROPTER
NAPTIAS

VACUITATIS ET CONSENSU
ILLASTRIS ICTORUM ORDINIS
IN ITALIA AEDICATA
CONSEQUENTIS SUMMIS IN ATRIOAE
LIBERATIONIBUS
PARVICHAMENTA PREDONI
CHIESTAS ALLEGANDIS AVIAGENTIS
A MELITERRANO
EODA AGREGOMARICATIS IN CASTELLIS
ET FALCERNBACIS

AD DILECTUM MONUMETUM MDCCXXII.
IN ADIDOTORIO ICTORUM HONORIS ANTE THOMMUSIANIS.



E TYPGRAPHO VINTBRIANO
TYPGRAPHIA VINTBRIANA

VIRIS
ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS
DOMINO
CAROLO JOSEPHO
MAXIMILIANO
LIBERO BARONI
DE FVRST ET KVPFERBERG
REGNI BORVSSICI OMNIVMQVE QVOTQVOT SVNT
TERRARVM BORVSSICO BRANDENBVRGICARVM
CANCELLARIO SVPREMO
IVSTITIAE STATORI SVMMO ATQVE MINISTRO
STATVS INTIMO
CET. CET.
VT ET
DOMINO
CAROLO ABRAHAMO
LIBERO BARONI
DE ZEDLITZ
DYNASTAE IN KAPSDORFF ET M.CHELWITZ
CET.
AVGVSTISSIMI REGIS BORVSSORVM IN CONSILIO
SECRETIORI
STATVS ET IVSTITIAE ADMINISTRO
ACTVALI
SVPREMI SENATVS ECCLESIASTICI, COGNITIO.
NVMQVE CRIMINALIVM VT ET COLLE.
GII MEDICI PRAESIDI
ACADEMIARVM REGIARVM CVRATORI
CET. CET.
MAECENATIBVS SVIS LONGE
INDVLGENTISSIMIS

HAS

HAS QVALESCVNQVE
STUDIORVM SVORVM PRIMITIAS
IN
SUMMAE REVERENTIAE SIGNVM
CVM VOTO
OMNIS GENERIS PROSPERITATVM
SUBMISSA MENTIS VENERATIONE
EX VETERVM FORMVLA
DE LIBRIS
DYNASTIE IN KVRSDORT ET WICHERWALIS
STATAS ET IVSTITIIVE ADMINISTRIO
SECRETIORI
SOCIAVLI
SALERMI SENATORIUS ECCLIESIVSIC COGNITIO
HOMOAE CRIMINALIA AT ET COLLE
OMNIVM MAXIME DEVOTVS CVTOR
ACADEMICARVM REGIARVM CAVATORI
CHRISTIANVS ALEXANDER VIVIGENTZ
A WINTERFELD.
INSTI-



INST1VTI RATIO.

Quum peracti temporis studiique academi-
ci ratio thema elaborandum a me po-
stulet; pluribus ex rationibus de do-
nationibus propter nuptias agere ad ani-
mum constitui. Haud quidem ignoro,
iam plurima V.V. Cl.Cl. extare scripta, qui in hac donationis
specie explicanda curas suas impenderunt, nec etiam me
fugit, paucos esse in hac subtili materia iuri Romano usuni
superesse existimantes. Quod quamuis mea quidem ex
sententia non ita exploratum sit, ingenia horum practica

A

lauda-

laudare me quidem oportet; attamen cuique non licet hoc
 ce adire Corinthum, et solo praxeos studio delectatus no-
 eturnis diurnisque laboribus non nisi circa forensia versari.
 Ea magis igitur hac ex parte veniam ab illis me iam impe-
 traturum esse arbitror, quibus nil nisi quod ad praxin facit
 acceptum est; quo minus in his a parum versato e scholis
 vix egresso iure aliquid possit desiderari. Quamuis vero
 de hac materia scripta in lucem prodierint quam plurima:
 nemini tamen quod ego quidem arbitror, harum donationi-
 num naturam ac indolem ita explicare contigit, vt ei cal-
 culus possit addi. Tot fere adsunt de harum donationum
 qualitate opiniones, quot singula scripta, qua ex ratione
 inexplicabile thema hocce non sine omni specie videri po-
 tuit, Cl. LOBETHANIO in der Ehe-Rechts Gelahrtheit, Hal.
 1775. edita, pag. 134., quamuis hic egregium errorem in eo
 errauerit, quod ad veteris Iuris Romani mysteria eam re-
 tulerit, cui assertioni diserte contrarium perhibet §. 3. I. de
 donat. In hac ita abscondita materia quae multis maximis
 que ingenii viris crucem fixit, vires experiundi est consti-
 luum. Magna certa audacia in nescio quid humeri ferant,
 quid ferre recusent. Satis vero si minus felici sidere in
 tractatione usus fuero, apud cordatores, horum enim iur-
 dicium tantum suspicio, excusationem meritum me con-
 fido; dum in arduis voluisse quandam sufficere ad animum
 perpendant. Tota autem tractatio de donationibus ante-
 nuptialibus in quatuor potissimum capita diuidi posse vi-
 detur: quorum primum, praemissa litteratura thematis ve-
 ram donationis antenuptialis notionem siffrere debet, qua explicata,
altero

altero capite vicissitudines et historia illius perpetrandae veniunt, quibus status donationum harum iure Nouellarum finem imponere debet; quo etiam absolute, tertio capite Mutationes per Imperatores Romanos Iustiniano posteriores introductae seu status harum donationum iure Romano Graeco explicandi veniunt, quibus quarto denique capite usus donationum antenuptialium in Germania subiiciendus erit. Ne vero in tanto thematis ambitu cum iam duobus prioribus capitibus inhaerendo sat prolixa ut sit tractatio necesse est, dissertationis formam superet tractatio: posteriora duo capita alii temporis occasioneque reseruare utilius visum fuit. Tu B. L. fruere si placent hisce lucubrationibus; si displicant corrigere, emendatione honora, et ex iuris subselliis ne vix quidem egressos esse memento. Vnde si sciendi cupiditatem inuenies, huic
parce; ne posthaec pudeat meliora lectu
in lucem proferre.

A 2 CAPVT

CAPVT I.

QVO VERA DONATIONIS PROPTER NVPTIAS
NOTIO SISTITVR.

§. I.

Scriptores de hac materia laudantur.

Ne vero lateant, quorum iam mentio facta est scriptores de donatione propter nuptias; illos tantum retulimus, qui specialibus tractationibus ex instituto hanc materiam sibi euoluendam sumserunt. Vix enim Compendium extat Digestorum aut Commentarius in Institutiones, Codicem et Nouellas, in quo sicco pede haec materia praeterita sit; licet quamplurimum Auctores in Compendiis per transennam tantum eam tetigerint. Ex illis autem qui ex instituto de d. p. n. tractarunt sequentia scripta mihi innotuerunt. WOLFG. AD. LAVTERBACH, *Comm. de d. p. n. Tüb.* 1653. HENR. BODINVS, *diff. de d. p. n. ab erroribus DD. vindicata.* IOAN. FRID. OLEARIUS, *diff. de dominio vxoris in rebus propter nuptias donatis, Lips.* 1707. qui vxoris dominium strenue defendit. IO. PETR. de LVDEWIG, *diff. differentiae iuris Romani et Germanici in dote et d. p. n. Hal.* 1721. qualem sub eodem pene titulo etiam 1727. Francof. ad Viadr. habuit CHR. GODOF. HOFFMANNVS, quae recusa est Lipsiae 1736. TOB. IAC. REINHARD, *diff. de vxore in d. p. n. nec dominium nec hypothecam habente, Erf.* 1729. PHIL BALTH. GERDES, *diff. de nullo et exiguo usu d. p. n. maxime iure Iustiniane consideratae, Gryph.* 1733. IO. GOTTL. HEINECCIVS, *resp. F. S. WITZLEBEN,* *diff. qua uxor Romana propter nuptias donationem de alienatis secura tantum silitur, Hal.* 1740. IAC. RAVIVS, *resp. de*

de L V E D E , diff. de vera indole d. p. n. Romanae, (a) quae inter huius generis scripta nouissime prodiit Ien. 1762. His dissertationibus iungenda est elegantissima per ill. FRID. ES. PYFENDORF, commentatio de d. p. n. qua orbem eruditum in eximio obseruationum iuris uniuersi opere condonauit et Tomo II. Obs. 39. inseruit. Praeterea hic referendae sunt dissertationes NIC. HIER. GVNDLINGII, et IOAN. GODOF. SAMMETI; quorum ille, diff. de emtione vxorum dote et Morgengaba, Hal. 1721. hic vero, in diff. inaug. de hypobolo, Lips. 1746. multa huc pertinentia perorauit. Edidit etiam ut nos docuit per ill. MOSERVS in Lexico der ietztlebenden Rechtsgelehrten, Züllich. 1739. v. CL. CHR. VL R. GRVPEN 1714. dum Ienae adhuc degeret, Commentationem succinatam ad L. 20. C. de d. a. n. quam huc referendam esse titulus facile persuadet: (b) quam vero nostros in conspectus deducere haud licuit. Quamuis vero quidem Olearii dissertationem oculis perlustrauerimus, quod ne v. CL. SAMMETO quidem accidit: (c) omni tamen exhibita solertia dissertationes a Bodino, Ludewigio, ac Reinhardo editas inspicere non potuimus: quod respectu ultimi praeципue dolemus, cum titulus non ita vane nos faciat suspicari,

A 3

com-

- a) Due illae dissertationes iure meritoque respondentibus tribui videntur, in quo igitur ne quid eorum laudibus detrahatur simul eos commemorandos esse duximus.
- b) Apertius iudicare hoc de scripto non possumus, tum quia non vidimus, tum etiam quia sphealma typographicum in libro Moseri subest ibique legitur ad L. 26. C. de d. a. n. qualem LL. numerum iste tamen titulus haud agnoscit, qua ex ratione ad L. vlt. quae est numero 20 directam esse credidimus. Satis vero iam ex eiusdem GRVPENII tractatu de Vxore Romana Haanou. 1727. edito nota est Viri clarissimi elegancia et in iure Romano peritia, quare non sine dolore ferimus, hoc scripto uti non potuisse.
- c) Ipse SAMMETVS diff. de hypob. §. 2. nunquam oculis usurpatam Olearii quam Reinhardi libellum glorioles tibi tribuit, quod intuitu Olearii eo minus dubitamus, quo magis creditit Sammetus, Olearium contrarium sibi sententiam defendere et vxori dominium d. p. n. denegare.

communes DD. de d. p. n. opiniones a Reinhardo fuisse reiectas atque refutatas.

§. II.

Variae DD. de d. p. n. notione sententiae referuntur et nostra subiungitur.

Allegatis quæ de d. p. n. prodierunt singulis scriptis, vt varia de eius notione sententias exponamus iam nostrum esse videtur. Exprimi vero vix potest, quam varie sentiant hac in re DD. et quam egregie inter se pugnant illi, qui d. p. n. notionem scriptis suis consignarent. Quorum omnium sententias conciliare ad unamque deducere, labor, nisi impossibilis, foret Hercule dignus. Nos illud laboris suscipere posse viribus diffidimus, et tantum in eo vt nostras de d. p. n. notione cogitationes adducamus, rationesque cur in contrariam partem ab omnibus sententiis abeamus, versabimor. Qui in re fin minus feliciter gesserimus, veniam nobis non denegabunt, qui per quamplurimas DD. sententias d. p. n. indolem obscuratam potius quam explicatam esse perpendunt. Liceat proferre quæ sentimus, hanc enim veniam rogamus damusque vicissim. Tenet praeterea plurimorum animos persuasio, huic materiae nullum vel tamen exiguum in Germania nostra usum superesse. (d) Accedit, quod reducto ab Irnerio Iurisprudentiae Romanae studio, quam maxima confusio in ius nostrum per varia Glossatorum Bartholistarum atque Baldistarum molimina inuestita sit, qui iuris Romani vicissitudinum historiaeque eius experti summa imis miscebant, et si quid simile se in patriis moribus offerret, ad explicationem e iure peregrino desumendam confuerant properare. Hanc non sine ratione caussam perhibet

(d) Huius rei si desideras testes euolus H V B E R V M, Prael. ad tit. D. de iure dot. nr. 19. THOMASIVM in not. ad tit. I. de donat. p. 165. C VI ACIVM Olf. 4. Lib. 5. STRYCKIVM in V. M. tit. de iure dot. §. 13. ceterosque quamplurimos quo^m omnes referre nil referit.

hibet **GUNDLINGIVS**, *diff. cit. C. 2. §. 22. et 26.* cur etiam in d. p. n. tam multi aliud sibi deprehendere videantur; cum statim adsit perpetua *Dotalitii*, *Doarii*, *Morgengabae*, et si mauis aliorum adhuc patriae institutorum cum donatione nostra confusio. Cuius cum definitio atque natura in iuris civilis collectionibus non ita traderetur, ut talpa coecior illam arriperet; plurimi in securitatem dotis ab vxore illatae factam suisse donationem propter nuptias argumento ex *L. 20. C. de d. a. n.* desumto sibi aliquis persuaserunt. Inueterata haec plurium animos notio altas ita egit radices, ut olim de contrario dubitari vix fas fuerit, et in omnibus fere iuris civilis compendiis ita tradatur. Quid quod eam summi adhuc viri **WESTENBERGII**, **HEINECII**, **SCHAUMBURGI**, **BOEHMERI**, in Compendiis suis admirerunt, et **HOFFMANNOS**, **SAMMETOSQUE** in *diff. cit.* nimium adhuc hac in re cum *Lauterbachio*, *Oleario*, *Gerdesig*, et similis farinae hominibus consentire videamus. Quantum vero quidem in eo consentiant d. p. n. in securitatem dotis paeberi, tamen circa hanc ipsam notionem variis iterum sententias abripiuntur. Qui enim adhuc meliora sequuntur, in remunerationem simul et compensationem dotis fieri contendunt, in quo, modo explicatoria verba adhibeant, a veritatis tramite haud ita longe aberrare videntur. Nihilo vero minus etiam hi principalem ab aliis donationibus differentiam in securitate dotis ponunt. Ab his iam discedunt, qui pignus dotis eam donationem appellare malunt, et in solam cum **WESTENBERGIO** dotis securitatem fieri tradunt. Alii iterum cum **LAVTERBACHIO** vxori in d. p. n. tam dominium denegant quam possessionem, quod vero ceteri cum **SAMMETO** et **OLEARIO** acriter defendant. (e)

vol. corp. exp. pl. 1. ann. 1600 lib. 2. fol. 100v. secundum lib. 2. fol. 101v. audito in **SCHAUM-**
9) Cum LAVTERBACHIO faciunt: GERDES, *diff. cit. §. 24. BACHOV ad Treutl. Vol. 2. disp. 19. thef. 8. lit. o. VINNIVS*, *ad §. 3. I. de don. SCHAUMBVRGIVS*, *Comp D. Lib. XXIII. lit. 3. §. 16. VVLTEIVS*, *in iurispr. Rom. §. 1151. WISSENBACHIVS* aliique; cum Sammeto statuunt: **HUBERVS**, *Prael. ad T. I. de don. nr. 8. STRVV*, *S. I. C. Ex. 30. nr. 33. HOFFMANNVS*, *diff. cit. §. nor. c. totam item prologomachia accepit; STRVVIUS*, ipse dubius sibi videtur cui sententiae se addicat,

S C H A V M B U R G I V S interim ac V V L T E I V S contractum specialem inde formari malunt, quam donationem, per quam nempe cum dominium in donatarium transeat, sibi ipsis contradicere videntur illud vxoricum L A V T E R B A C H I O denegantes. Alii hac in re adhuc aliter sentiunt et dominium vxori in d. p. n. tale tribuunt quale ipsarum ex visione in dote sibi potest arrogare propter vtriusque in L. 20. C. de d. a. n. factam exaequationem. Haec de donationis propter nuptias indele sententia, postquam per plurimum tempus universaliter ferent dominauerat, aduersarios tandem inuenit, qui ei penitus contrarii, nouam plane eius notionem suppeditarent. Inter hos H E I N E C C I V S aut sub eo potius W I T Z L E B E N I V S difficit. vxorem per eam de alimentis tantum securam fieri, tantis rationibus peroravit; ut sententiam eius facere non dubitauerit Ill. H E L L F E L D I V S Comp. D. §. 1242. quique simul cum G V N D - L I N G I O quadruplicatas dotis in dotalitio usuras ab haeredibus mariti vxori viduae praestandas, ex his donationibus ortum cepisse adfirmat. R A V I V S denique V. Cl. et sub eo resp. de Lüde dotem quam maritus vxori praestaret sub hac donatione inuenire sibi vius est, ideoque simul tam ad ferenda matrimoniij onera quam propter ipsum matrimonium fieri propugnauit; quam etiam sententiam C V I A C I O non ita displicuisse, patet ex Obs. 5. Lib. 4. In lucro πολύπαιδις ponit eam perill. P V F E N D O R F F I V S; tunc demum ab vxore percipiendo, si liberi fuerint procreati; quibus non extantibus, nisi in paectis dotalibus alter conuenisset nihil ex illa ad vxorem pertinuisse contendit. Sed quamvis haec sententia multum prae se ferat, abs eius tamen partibus stare omnino non possumus. Ab omnibus potius, quotquot sunt virorum doctissimorum opinionibus, facturi erimus diuortium, omniq[ue] quo fieri potest studio id operam dabimus, ut adpareat: donationes propter nuptias sub eadem conditione vxoribus factas esse, qua eveniente contrario casu lucrum dotis a marito perciperetur, ideoque non aliud esse; nisi donationem conditionatam, a marito in vxorem translatam, qua lucrum eventuale dotis a marito contrario

9

trario in casu vxori compensetur. (f) Explicatam hanc nostram de d. p. n. notione sententiam iam in LL. fundatam vindicabimus; deinde argumenta quae pro allegatis ceteris opinionibus pugnant, a nobis erunt diluenda.

Notio tradita LL. corroboratur. §. 3 - 7.

§. III.

Quo vero accuratius in explananda harum donationum natura procedamus, semper donationes propter nuptias in oppositione ad donationes inter virum et vxorem considerare oportet. Constituto adhuc inter coniuges matrimonio donationes non omnino valuisse, neminem in iure Romano tantisper versatum ignorare putamus. Quum enim antiquioribus reip. Romanæ temporibus vxores aut coemtione, aut farre, in manus mariti conuenient, aut denique usu ab iis caperentur, (g) hac ex ratione dona-

(f) Talem ante nos d. p. n. indolem propugnasse scimus neminem. Ingenio tamen nostro non ita deberetur, vt primi eam haufisse gloriemur; sed ut cuique suum tribuamus, ex ore **III. G. S. MADHNII**, praecceptoris nostri nunquam non deuenrandi, percepisse eam ingenuè fateamur. Obscura quidem videri posset, sed cum satis longa iam sine hiatu vix pronunciari possit, nisi verbositatis virtutem incurrire voluerimus, perspicacior tradi non potuit. Ceterum quæ mox sequentur, eam reddent clariorem.

(g) Modos hos conueniendi in manus mariti et qui ritus in illis conventionibus adhibiti fuerint, ex instituto exposuerunt: **HEINECCIVS**, *Ant. Iur. Rom. Lib. I. Tit. X. ANTON. et FRANC. HOTOMANNI*, *de veteri ritu nupt. ex iure conub. in G. GRAEVII Thes. Antiqu. Rom. Tom. VIII. et V. CL. CHR. VLR. GRVPEN*, in elegantissimo tractatu *de Vxore Rom. c. 4. 5. et 6.* Effectus potissimum huius conventionis erat vt, vxor fieret materfamilias, **GELL.** *Lib. 18. c. 6.* ideoque iura familie mariti et consanguinitatis adquireret. Quae vxores vero non conuenissent in manus, sed tantum in matrimonium; matronae erant, non matresfamilias **GELL.** *I. c. 6.* ideoque vxores tantum vocantur a **CIC.** in *Top. c. ii.*

B

tiones inter coniuges nullas esse potuisse, quisque videt, cum nemo sibi ipsi possit donare; omnia vero quae mulieris fuerant viri fierent donis nomine, ut CICERO nos docet in *Top. c. 4.* Exoletis quidem sensim paullatimque his in matrimonium conuenienti modis, cum vxores tantum esse mallent mulieres, quam duram subire quae in matres familias cadebat potestatem, omnia molientes ut usurpatum irent; eadem quidem prohibitionis ratio subsistere non poterat, nihilominus utpote moribus recepta remansit, ut tradit: VLPIANVS *L. 1. D. de don. int. U. et V.* aliaeque iam nunc a LL. accipiebantur rationes, quas fuisse explicauit V. CL. HENR. IO. OTTO KOENIG, in *diff. de donat. inter V. et U. §. 3. seq.* Plane igitur nullae erant hoc tempore constante adhuc matrimonio donationes inter coniuges, ita ut ne conditionem, cui talis donatio inerat valere, responsum sit ab VLPIANO, in *L. 38. D. de contr. emt. et AFRICANO in L. 17. pr. D. ad SCium Vellei.* Quamvis vero postea per SCium ad orationem D. ANTONINI CARACALLAE latum aliam haec donationes conditionem accepissent, cum ipso iure non amplius inualidae essent, tamen nec indistincte eum valorem consecutae sunt, ut statim ac factae essent, cosisterent; sed morte demum donatoris reuocationi non amplius obnoxiae erant. *L. 32. §. 1. et 2. D. de don. int. V. et U.* Quae cum ita sint, considerato hoc donationum statu, si inter tales personas donatio ponenda esset, inter quas matrimonium intercedebat; si haec omnimodo valida esse debebat, ut ante contractum matrimonium facienda fuerit, nemo non videt. Contracta enim individualia vitae consuetudine, quia tunc a voluntate donantis adhuc pendebat reuocatio; donatarius ex donatione in se collata nullum fere lucrum sperare audebat. Quo facto eo magis mos inualescere debebat, ut desponsati sibi inuicem donarent, quo minus post nuptias donare liceret. Saepius igitur iam mentio sit donationum in sponsas a sponsis collatarum, quae cum ante nuptias fierent, iam a MODESTINO ante nuptias donationes vocantur, in *L. 27. D. de Don. int. U. et V.* Monet nos haec consideratio, donationes

nes

nes ante nuptias in latiori strictiorique significatu obuenire, qui iam sollicite a se inuicem erunt distinguendi. In latiori significatu non esse potest nisi queuis liberalitas inter personas matrimonio iunctas aut iungendas, ante matrimonium initum facta. Si enim donatio inter tales personas contingit, inter quas alias matrimonium ponendum est, vel ante matrimonium initum facta sit necesse est; vel eo contracto. Si posterius, dubium non est, quin haec liberalitas iure donationum inter virum et vxorem aestimetur: Sin vero prius nullum magis naturae conueniens nomen accipere potest, ac donationis ante nuptias; quum nisi ante nuptias donatione facta sit, ad reprobatas donationes foret referenda. Id vero notandum est, nostram de qua agimus d. p. n. pari modo sub nomine antenuptialium donationum antiquitus tantum cogitam fuisse, cum nomen propter nuptias iubente ita Iustiniano demum accepit, per L. 20. C. de d. a. n. Non enim id apud nos solum moris est, ut sibi donationes faciant matrimonium inituri; sed etiam apud Romanos talium munierum frequens fit mentio in fragmentis ICtorum in Digesta relatis, (h) quae cum ante nuptias factae sint, valere edicit M O D E S T I N U S L. 27. cit. Omnes sere priores LL. C. repetitae preelectionis in titulum de d. a. n. relatae de talibus donationibus loquuntur. Quae cum ita sint cum crebro obuenirent donationes inter desponsatos, specialis denominatio sponsalitiae largitatis (i) iam efformata est, et ipsae hae donationes

B 2 II Nostrae auctoritate saepius

(h) Vide sis L. 32. §. 22 L. 66. pr. de donat. ius. V. et U. L. 1. §. 2. D. de don. Sic etiam in L. 26. §. 1. D. de don. int. U. et V. annuli sponsae munera a sponso missi mentio fit, quem de pronubo esse accipendum statim diuinaueris. Ita enim IVVENALIS etiam in Sat. VI. v. 26.

Iangue a tonsore magistro

Pectoris et digito forte pignus dedisti.

Non aureum hunc sed ferreum fuisse memoratur PLINIVS, Lib. 33. c. 1. et manu sinistra digito minimo propriori portatum fuisse docet ALEX. ab ALEXANDRIS, Genial. dier. Lib. 2. c. 19.

(i) Donatio propter nuptias in LL. saepius sub nomine sponsalitiae largitatis venit, id exploratum est; an vero semper subintelligenda sit donatio pro-



saepius pro sponsalibus (*k*) ipsis aequa ac nostra donatio propter nuptias accipiuntur.

S. IV.

pter nuptias, ea quam explicauimus §. 2., si sponsalitiae largitatis nomen occurrit, magna est contentio. Negat HEINECCIVS diff. cit. §. 6. nos. *** y iure Nouellarum ibi semper subintelligendam esse, vbi de sponsalitiae largitate loquitur Imperator. Sed eius rationes non sufficiunt. Vtramque IUSTINIANVM non distinxisse, praecipue videri potest in Nou. 119. c. 1. Sic etiam pluribus locis in textu Nouellarum Graeco occurrit vox *προαγαπατικά δόρεα*, vt obseruat HOMBERGCK ZV VACH, in interpret. Nov. 61. quo verbo alias d. p. n. intelligitur. An semper d. p. n. veniat, vbi ante Iustinianum sponsalitiae largitatis mentio est, affirmare, non ausim.

k) Sponsalia autem triplici potissimum significatu obueniunt. Vocatur ita ipse actus desponsationis, vt in L. 1. D. de spons., porro arrhae sponsalitiae ita nominantur, L. 1. C. si nupt. ex rescrit. pet. L. 1. C. Tb. si prov. ref. L. 6. C. Tb. de spons. quam denominationem non immerito ex modo contrahendi sponsalia deriuat HOFFMANN, diff. cit. §. 3. not. b. quia haec plerunque stipulationibus iniebantur, quibus moris erat arrhas adiicere maioris securitatis caussa; vide GELL. L. 4. c. 4. Innuit hoc etiam L. 3. C. de d. a. n., vnde pactae dicuntur sponsae in L. 7. C. de d. a. n. et IUVENALIS Sat. VI. ita proficit

Conuentum ramen et pactum et sponsalia nostra

Tempestate paras.

Ita etiam ARNOBIVS seculi IIII scriptor Lib. 4. aduersus gentes. „Habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipularionibus sponsas.“ Huic igitur primo speratae, deinde pactae, et denique stipulatae dicuntur sponsae. Arrhae ita datae non solum ab eo, a cuius parte steterat culpa non contracti matrimonii, perdebantur; sed si ipse acceperat, quadruplum illarum restituere tenebatur in poenam. Haec quadrupli poena a LEONE et ANTHEMIO IMP. in L. 5. C. de spons. ad duplum restricta denum est, nisi alter pacto conuentum esset. Arrhas autem sponsabus a sponsis das esse potissimum inuenimus. Denique ultimo significatu, omnis liberalitas a sposo in sponsam profecta pro sponsalibus accipitur, vt sponsalia quasi dona audiantur, L. 2. et 3. C. de fec. nupt. L. ult. C. de ing. manum: et de his praecipue nobis sermo est, cum ante nuptias donata fuisse anteriora fatis manifestant.

§. IV.

Quae cum ita sint posita latiori d. a. n. significatione, nullum aliud abs ceteris donationibus discrimen inuenimus, quam quod ante ipsum matrimonii tempus inter desponsatos obuenerint. Ab hac vero ita generalius accepta notione se distinguit illa, cuius definitionem §. 2. dedimus, et quae in strictiori significatu donatio ante nuptias vocanda est, et a Iustiniano propter nuptias dicta. Non enim omnes donationes quae ante nuptias initas fiebant iisdem conditionibus venisse LL. satis manifestant; potius duplicum semper talium donationum speciem deprehendere visum fuit; alteram quae solius liberalitatis caufsa sit; alteram quae ad matrimonium ineundum se refert, et eius ob cauſam offertur. Prioris mentionem faciunt, DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, in L. 11. C. de d. a. n. ita fancientes: *Si tibi res proprias liberalitatis caufas spousus tradiderit: eo quod ab hostibus postea interfactus est, irrita donatio fieri non potest.* Has donationes ipsas postea vxores plerumque in dotem offerre solebant; vti non occulte dicitur, L. 12. pr. D. de publ. in rem att. L. 1. C. de d. a. n.; et statim irrevocabiliſter fiebant accipientis, si cetera (1) obſeruata effent; respondentē ita IULIANO in L. 1. §. 1. D. de donat., ac ne obtentu aetatis quidem reuocari poterant L. 1. C. si aduers. donat. Licet vero matrimonium postea contraheretur, reuocationi non suberant, licet ipso die nuptiarum, modo ante domum deductionem factae effent. L. 27. D. de don. inter V. et U., L. 6. C. de d. a. n. Eadem ex ratione SCAEVOLA in L. 66. infin. D. de don. int. V. et U. id quod ante nuptias donatum proponeretur, non posse de dote

B 3 de
1) Requisita haec in mancipacione aut traditione, pro diuersitate ipsarum rerum admittenda, consistebant ex L. Cinciae sanctione. Vnde etiam in L. 11. cit. traditionis mentionem faciunt DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS: fine qua nempe donatio irrita fuisset. Praeterea insinuatū accedere debebat, si 200. aureos excederet, quea summa ad trecentos primum, deinde ad 500. solidos redacta est a IUSTINIANO L. 34. et 36. C. de don.

deduci respondit. (m) Propter res enim donatas retentionem do-
tis marito dari, tradit **VLPIANVS fragm. tit. 6. §. 6.** quae vero
IVSTINIANO in **L vn. §. 5. C. de Rei Vx. ait.** ea ex ratione inu-
tilis vita fuit, quia compensationem opponere posset maritus pro-
pter res vxori donatas, quo facto cum ipso iure dos minuta esset,
retentionis nomen displicuit. Plane aliam vero naturam acce-
perunt, eae quae matrimonii causa factas esse diximus donationes.
Quum enim solius matrimonii intuitu derentur, tacita conditio illis
inesse videbatur, ut tunc ratae tantum essent, si matrimonium
esset contrafactum, et ex his demum donationes propter nuptias de-
riuandas esse opinamur. Ita enim **TRIBONIANVS**, §. 3. I. de
don., *Est et aliud genus donationis, quod veteribus quidem pruden-
tibus penitus erat incognitum, postea autem a iunioribus diuisi prin-
cipibus introductum est, quod ante nuptias vocabatur et tacitam in se*

habet-

(n) Casum **SCAEVOLA** in §. 1. dictae L. ita proponit: *Virginis in hortis deduc-
etas, ante diem tertium quam ibi nuptiae fierent, cum in separata diaeta ab eo
esser, die nupiarum, prius quam ad eum transire et priusquam aqua et igni
acciperetur; i.e. nuptiae celebrarentur, obulsi decem aureos dono: quascumq[ue] eis
post nuptias contractas diuoratio facta, an summa donata repeti posset.* Egre-
giam lucem accipit haec Lex, si ritus in coemtione de qua loquitur
SCAEVOLA obuenire solitos recolimus. Antequam enim ipsae nuptiae
fierent, ac deductio in domum mariti contingaret, in hortos illorum sponas
deducere moris erat, hoc etiam pater ex **TERENTIO** in **Adelph. act. V sc. 7.**
*arque hanc in horto maceriam iube dirui,
quantum potest hic transfer, unam fac domum*
atque hanc **TERENTII** maceriam pro compito vicinali explicat **GYND-
LINGIVS**, diff. cit. c. 1. §. 14., quam tamen sententiam relict **GRVPE-
NIVS** in praef. ad libr. de **Vx. Rom.** et compitum vicinale de aris a vicinis
diis suis laribus extructis, vbi in ipso compite fines illorum se terminarent,
accipere mauult. In horts adhuc commorante sponsa, ideo diuersa diaeta
esse dicitur; quia nondum in sacra mariti transferat, quod demum in ipsa
domum deductione eveniebat, dum aqua et igni limen mariti transgre-
diens spargebatur, **VARRO** de **ling. lat. L. 4.** quo ritu arctissima con-
iunctio indicabatur inter maritum et uxorem, quia haes humanam vi-
tam maxime continent, vt ait: **FESTVS** voce *Aqua* Confer, de his
omnibus iam laudatum **GRVPE NIVM** c. 4. §. II.

habebat conditionem, ut tunc ratum esset, cum matrimonium esset
 insecum. Idem fere iam CONSTANTINVS M. sanctuerat in
 L. 15 C. de d. a. n., vbi de donationibus matrimonii causa factis
 disponit, vt nuptiis subsecutis tantum valerent. Ita vero in C. Iu-
 stinieneo sonat: CONSTANTINVS A. ad MAXIMVM praef. vrb.
 „Cum veterum sententia displiceat, quae donationes in sponsam
 „nuptiis quoque non secutis decreuit valere: ea quae largiendi
 „animo inter sponsos et sponsas iure celebrantur, redigi ad huius-
 „modi conditions iubemus; vt siue affinitatis coeundae causa,
 „siue non ita, vel in potestate patris degentes vel vello modo pro-
 „prii juris constituti, tanquam futuri causa matrimonii aliquid sibi
 „ipsi vel consensu parentum mutuo largiantur. Si quidem sponsus,
 „vel parentes eius sortiri filium noluerint vxorem, id quod ab eo
 „donatum fuerit, nec repetatur traditum, et si quid apud dona-
 „torem resedit, ad sponsam et haeredes eius submotis ambagibus
 „transferantur: Quodsi sponsa vel is in cuius agit potestate causam
 „non contrahendi matrimonii praebuerit, tunc sponso eiusque he-
 „reditibus sine aliqua deminutione per conditionem aut per utilem
 „actionem in rem redhibeantur. Quae similiter obseruari oportet, si ex parte sponsae in sponsum donatio facta sit. Dat. 16.
 „Kal. Nou. prope. 16. Kal. Sept. ROMAE CONSTANT. AVG.
 „V. et LICIN. COSS.“ Increpat in hac Lege CONSTANTINVS
 eam veterum sententiam, quae sine distinctione donationes inter
 sponsas validas esse prohibebat; huic rei mutationem iniiciendam es-
 se censet, et donationes quae tanquam futuri matrimonii causa fiunt
 eam conditionem habere iussit, vt non contracto matrimonio inuali-
 dae essent. Diserte eam donationem tanquam causa futuri ma-
 trimonii innuit, id vero dubium non mouet, quod de repudio(n)
 obueniente tantum loquatur nec exprimat casum mortis. Tota
 enim Lex in L. 2. C. Th. de spons. et a. n. d. inuenitur, ex qua in
 hunc

n) Repudiat enim etiam de sponsis dici debere, nos docet MODESTINVS,
 L. 101. §. 1. D. de V. S. cum diuortium proprio de iis dicendum sit, qui ma-
 trimonis iam sunt copulati L. 191. D. eod.

hunc titulum translata et interpolata est. Pergit vero ibi c o n-
 STANTINVS. „Nullis caussis vterius requirendis, ne forte
 „mores aut origo dicatur, vel quicquam aliud opponatur, quod
 „sibi quisquam non conuenire aestimat, cum longe antequam spon-
 „salia contrahantur haec cuncta prospici debuerint. Sola igitur inda-
 „getur voluntas; et immutata animi sententia ad restitutionem seu repe-
 „titionem rerum donatarum sufficiat, cum vniuersis cauassationibus
 „pulsis nihil amplius constare debeat, nisi vt adpareat, qui sibi con-
 „trahendum matrimonium dixerit displicere. Et quoniam fieri
 „potest, vt moriatur alter adhuc incolumi voluntate, priusquam
 „nuptiae contrahantur, congruum duximus: eo in quem fuerat
 „facta donatio ante matrimonii diem functo, quae sponsaliorum
 „titulo data vel vlo genere donata sunt ad eum qui donauerat re-
 „uocari. Eo etiam qui donauerat, ante nuptias mortuo, mox
 „infirmari donationem et ad eius heredes sine aliqua difficultate
 „detrahi res donatas. Quod beneficium vsque ad personas patris
 „et matris, filiorum etiam si qui de priori matrimonio fuerint itare
 „decernimus, si quoconque modo ex his persona aliqua defunctorum
 „successerit. Quod si ex his nulla persona defuncti heres erit,
 „sed ex reliquis gradibus quisquam succedat; donationes conuenit
 „etiam non insecuris ex causa mortis nuptiis conualescere, quoniam
 „illis tantum personis credimus consulendum: Dat. &c.“ Ex
 quo iamnum adparet, his donationibus eam conditionem inditam
 fuisse, vt matrimonio inito tantum valerent, et in eo casu demum
 apud donatarium resedisse, si defuncto illo neque parentes neque
 filii supereissent. Multum facit hoc ad explicandam eiusdem c o n-
 STANTINI sanctionem in L. 16. C. de sc. nupt., in qua id huic
 praecedenti sanctioni addidit, vt si sponsus osculo (o) interuenien-
 te

- o) Quam sinistre interdum DD. consequentias facere audeant, hic locus praebet exemplum. Baldus enim ex eius argumento ad c. 5. X. de procur. deriuat, vt vxor si extraneo osculum dedisset doris dimidiata perdere debeat; sententiam eius vero vt satis absurdam, iam explodit B V G N Y Q N, leg. abrogat. L. IV, nr. 38. p. 526. Ceterum nisi expresse, confutudine tamen omnino extra usum est Leg. 16. cit. sanctio.

te donasset, pro dimidia parte staret donatio morte vnius alterius, ue contingente; quod igitur tunc demum ex *praec.* *L.* tenore lo-
cum sibi vindicat, si defuncto parentes aut filii adhuc superficies sunt; qui si non existunt, tota valere debet donatio. Eadem vero Le-
ge simul hoc ad donationes, quas sponsi sponsabus conferrent tan-
tum restrixit, ut sponsa si quid dedisset, non secuto propter mortem
matrimonio semper repetendi licentia gauderet: Ipsas tamen do-
nationes a sponsabus rarius fieri adgnoscit.

§. V.

Iam proprius hoc modo ad donationum p. n. naturam et
indolem accessimus, cum et in his inueniatur, ut matrimonii ineun-
di causa donatae sint. Tacitam conditionem iis inesse, ut matri-
monio tantum contra Sto valeant, §. 3. *I. de don.* nos itidem docet.
Non ita vane ideo cum HOFFMANNO, diff. cit. §. 3. not. a. coniicere
licet, in his donationibus propter matrimonium ante nuptias factis,
donationis nostrae striete sic dictae originem inesse. Iam in *L.* 16.
cit. nos monet CONSTANTINVS, rarius a parte sponsarum largi-
tates fieri; quodque non parum pro nostra notione facit, deinde
etiam quod indistincte illam donationem de qua §. *praec.* dixi-
mus sponsabus restituendam esse iuss erit, nostram rem confirma-
re videtur. Non enim sponsae tanti ponderis lucrum per matri-
monium offerebatur, ac sponsio, quare superflua non immerito
videbatur donatio sponsae, alio ex principio et intentione diudi-
canda. Dotem non sponsus sponsae, sed haec illi promittebat stipu-
labaturque: aequitas igitur ut sponsus sponsae rursus quid offerret,
desiderabat. Constante vero matrimonio leges reprobauerant do-
nationes inter coniuges, ideoque ut ante matrimonium sponsus
liberalitatem exerceret erat necesse. Quid quod sponsus eo ma-
gis donare poterat, cum dotem illatam acciperet, quam praemortua
in matrimonio vxore lucrabatur, nisi dos profectitia aut
receptitia esset. VLPIANVS *fragm. tit. 6.* §. 2. 3. 4. Ipsa dos pro-

profectitia, patre constitente iam defuncto, apud maritum remanebat, cum in solatium tantum filiae amissae ideoque ex sola aequitate repetitionem habeat pater, *L. 6. D. de iure dot. BARTH. CHESIUS, Interpr. Iur. Lib. II. c. 36. nr. 3.* (in *Iurisprud. Rom. et Att. Tom. II p. 525.*) Non desunt quidem, qui sine liberis ante maritum defuncta vxore dotis petitionem haeredibus tribuunt, nisi pactum interpositum sit de lucranda a marito dote, sed quin hi LL. aliquid contrarium statuant valde vereor. Id sane pluribus ex LL. iure *D. exploratum* potius esse videtur, dotem nisi aliter pactum marito potius cessisse. Ita *PAPINIANVS, Lib. 3. responsorum, in L. 15. D. de fundo dot. Dotale praedium, cuius vir possessionem retinuit, post litteras ad uxorem emissas, quibus dotis non fore praedium declarauit, in matrimonio defuncta muliere virum retinere placuit; quia mulier actionem ex pacto non habuit.* Si eo in casu maritum oportuisset restituere fundum, pacto non fuisset opus, nec litterae demum mariti adducendae, per quas iuri dotali renunciaret. Ex his vero litteris nullum ius oriri poterat, quia, nisi in stipulationem redigerentur pacta de dote, non poterant non esse pacta nuda. Sic etiam in *L. 10. §. ult. D. sol. matr.* si maritus occidisset uxorem, dotem lucrare vetatur, quae tunc vxoris haeredibus assignatur: Tali prohibitione ne opus quidem fuisset, si indistincte eam repetere potuissent haeredes, nec flagitium mariti demum id effecisset, in cuius poenam haec sanctio statuit. Pari modo in *L. 20. D. de his quae ut ind. et L. 25. D. de iure fisci ratio sanctonis desideraretur.* In *L. 5.* vero *D. de bon. damn.* maritus quasi mortua vxore dotem lucrare dicitur, si mulier non ex tali Lege damnata esset, propter quam dotis simul sentiret detrimentum. (P)

Divi-

(P) Plures adhuc Leges hoc probantes inuenies apud *GVID. PANCIROLVM in Thef. variar. lec. L. 3. c. 20. (Thef. Meerm. II. p. 1425.)* Idem adfimmat *VALERIVS MAX. L. 7. c. 7.* dum Septitiam matrem Trachalorum cum iam parere non posset, Publio Seni nupstis filiosque testamento praeterisse, tradit, Augustum vero nupstis mulieris finali cum testamento improbabile, igitur filios haereditatem maternam habere iussisse, *maritum-*

Diuinare prorsus esset, in his omnibus LL. pactum subintelligere, vi cuius maritus retinuerit; quod etiam ita generaliter verbis LL. iacentibus vix accipi potest. Leges vero in contrariam sententiam abeunt, aut de casu diuortii loquuntur, aut si quid in stipulatum deductum; et vxori actionem dotis tribuunt, non haeredibus eius. Ita nunc contra nos L. 240. D. de V. S. et L. 56. D. sol. matr. item mouere non amplius possunt. Quae vero actio haeredibus vxoris dari debuisset, iure quaeritur, nec actio ex stipulatu, quia nihil pactum; nec rei vxoriae, quia haec ipsi mulieri tantum tributur diuortio facta, ut docet THEOPHILVS, Paraphr. Inst. ad §. 29. de att. quae iudicium quoque de dote L. 38. §. 3. D. de iure dot. L. 1. C. de d.a.n. adpellatur, propterea quod bona fidei esset. Quare etiam IVSTINIANVS in L. vn. §. 6. C. de Rei Vx. att. id ex actione ex stipulatu veteri seruari constituit, ut maritus morua in matrimonio muliere non lucretur dotem, sed omni casu actio ex stipulatu prout ipse eam nouiter adornauerat, institui posset, etiamsi non conuentum quod restituieret.

§. VI.

Quibus ita positis, hanc donationem matrimonii causata datam, propter dotem inferendam in sponsam collatam fuisse, arridet. Matrimonia enim sine dote vix contrahere licebat, quod tam multae constitutiones manifestant, quibus aliquando et sine dote validum matrimonium perhibetur. Ipsa autem vxor dotem inferens vix aliud quid agebat, quam donare, dotesque ipsae ad

C 2

dona-

que dotem retinere versuisse, quia non procreandorum causa coniugium intercesserat. Ex quo fatis adparer, hunc effectum rite initia matrimonii fuisse. Quum enim L. Iulia et Papia Poppaea studio procreandae sibolis consulere visum esset, in hoc matrimonium ponebatur, ut liberorum procreandorum causa consensus interponeretur, quod cum hic abesset dos in mariti lucrum venire non poterat. Ita etiam dicitur consensus facit nuptias L. 30. D. de R. I. Eo vero modo uxores a concubinis differre confer sis BARN. BRISONIVM de form. pop. Rom. Lib. 6. 122, et GRV. PENIVM l. 6. c. 7.

donationes referuntur, in *L. fin. C. de a. n.* Quapropter non amplius dubium est, donationem matrimonii causa factam intuicu dotis inferendae oblatam esse, et perpetuam habuisse ad dotem relationem. Quum enim mortua in matrimonio muliere, prout *§. prae. euicimus*, maritus dotis lucrum suum faceret, nisi hoc illi pacto ademptum esset: aequum sane videbatur, vt in contrario ca fu, si ipse ante mulierem vita functus esset, illa rursus aliquid ex bonis mariti acciperet, vt aequiori animo ferre posset casum illum, quo maritus dotem lucraret. Hoc vero si efficere conari vellent mariti, ante nuptias donare debebant, quia alias iure donationum inter virum et vxorem donatio fuisset aestimanda. Minorem certe dotem illaturaे fuissent mulieres, aut tamen pacto de restituenda ea sibi prospicere, nisi tamē donationem fecissent mariti; ne cum sua persona omnia in maritum transtulisse viderentur. Factis igitur donationibus, per quas vxores id idem lucrarent, quod mariti ex dote, si casus contrarius ita voluisse, hisque ante matrimonii tempus collatis, huic rei mederi studebant. Sicut igitur mortua prius vxore, vir dotem acciperet, donationemque retineret, ita mortuo marito vxor simul cum dote et donationem accipiebat. Quare cum huic donationi pactum super dote inesset, dotalibus instrumentis simul illam consignare moris erat et donationum antenuptialium iura in illis expressa legimus. Belle haec sonant forte dixeris, sed unde probabis? Aqua non haereret. Propter dotem inferendam donationes antenuptiales factas esse, eamque illarum, fuisse naturam diserte exprimitur in *L. 8. C. Th. de spons. (q)*. quam totam adponere placet. Ita sonat: **THEODOSIVS et VALENTINIANVS A. A. HIERIO P. P. post alia.** „Si donationis instrumentum ante nuptias auctorum solemnitate firmatum sit, de traditione utrum nuptias antecesserit, vel secuta sit, vel penitus praetermissa, minime perquiratur; in illa donatione quae in omnibus intra ducentorum solidorum est quantitatem nec auctorum confectione querenda. Haec enim

q) In C. Iust. haec Lex non ita exat, sed omisssis ceteris ultima eius tantum sententia proponitur in L. 17. C. de d. a. n.

enim commoda, nec mariti fraude, nec successorum eius improbatate, nec si rupuloste iuris, nec si imperite vel callide rerum offerendrum in dotem habeat donatio mentionem, denegare vxoribus deceptis non patimur, vel iis qui in eorum iura succedunt. Sed a marito, vel ab haeredibus eius exacta, restitui; illa manente Lege quae minoribus aetate feminis, etiam actorum testificatione omissa, si patris auxilio destitutae sint, insle consuluit. Sc. Dat. X. Kal. Mart. Conflantin. TAVRO et FELICE COSS. Meminiscunt Imperatores donationis, cuius commodo uxores non fraudari debeant etiamsi in iis imperite vel callide dotes mentio facta fuisset: cur ea mentio, cur fraudes mariti, et improbitas successorum, si non aliud quid subfuisset quam simplex donatio? et quae fraudis alia cauilla, ac illa quod mariti amplas dotes habere cuperent, quas ipsi quidem lucrare vellent nec tamen rursus aliquid conferre. Sed forsitan dubius es, an de d. a. n. loquatur! Id statim certum fiet, si inscriptionis et subscriptionis remedium in auxilium vocaueris, tunc enim LL. inuenies, in quibus diserte donatio ante nuptias, exprimitur, quas vero ad hanc pertinere, dubitare non poteris. Lata enim est X. Kal Mart. TAVRO et FELICE COSS. et a THEODOSIO iuniori et VALENTINIANO ad HIERIVM Praef. praet. data. Id ipsum in plurimis aliis LL. reperies(r), quas o-

C 3

mnes

- r) Orum in colligendis his LL. nobis fecit IAC. GOTHOFREDVS, in *Chronologia LL. C. Tb.* Commentario suo eximo ad eundem praemissa. Refert vero ille praeter iam allegamat L. ad hanc constitutionem,
L. viii. C. Tb. de omis. act. impetr. quae est *L. 2. C. Iust. de. form. et impetrat. act. subl.*
L. vlt. de nupt., quae extat in *L. 22. C. Iust. de nupt.*
L. vlt. de dotibus, quae interpolata multum habetur in *L. 6. C. Iust.*
de dot. prom.
L. vlt. de natur. fil. quae in *C. Iust.* desideratur.
L. vlt. de legit. haeredit., ex qua desumpta sunt argumenta sanctiōnum in *L. 29. C. Iust. de donat.* et *L. ii. C. de haer. inf.*
L. 26. C. Iust. de bon. quae lib. quae in *C. Theodos.* non relata.
 Mouet huc item HEINECCIVS diff. cit. §. 7. nor ** et non omnes enumeratas LL. ad ynam constitutionem pertinuisse contendit, eo potissimum



mnes multo prolixioris constitutionis lacinias esse haud est dubitandum; cum in omnibus fere ante subscriptionem vox *et c.* subiecta sit, et in nostra L. etiam Inscriptioni addicum sit *post alia*, ex quo satis adparet, non totam in verbis allatis quaerendam esse constitutionem.

§. VII.

Proinde hoc extra dubium posito, quod d. p. n. dotis causa fiat, facile erit ad probandum; illam eandem conditionem continere, sub qua dos mariti lucro cedat. Audamus **IUSTINIANVM** in L. 20. C. de d. a. n. aut certe fallor, aut apertius d. p. n. natura proferri nequit, his verbis: *ut ipsi quidem (nem-*

pe)
ex argumento, quod tam varias diuersasque materias vna constitutione definitas esse vix credibile fit; nec facile adsit eius rei exemplum. Cre-
dit igitur, duas esse constitutiones ex quibus hae LL. defunctae sint, ad-
quarum alteram L. vlt. C. Tb. de legit. haeredie, L. vlt. C. Tb. de nat. fil. et.
L. ii. C. Iust. de baer. inst. pertinuerint, quas quad subscriptionem corru-
ptas esse autumat. In quo calculum ei non addere possumus. Quamuis
enim circa has LL. in C. Iust. differentia subscriptionis inueniatur, et in
L. 29. C. de don. legatur XI. Kal. Maii, in L. ii. C. de ber. inst. XI. Kal. Mart.,
tamen hoc suam sententiam non conficit, vt duae sint constitutiones,
vna X. Kal. Mart. altera XI. Kal. Maii lata. Exempla vero, quod toto a-
fe coelo distantes materiae vna constitutione complectantur, Nouellae Iu-
stiniani larga satis praebent manu. Euolus statim Nov. 18. et 19. Intuea-
mus autem Nov. 19, qualem farraginem illa continet, si ita dicere debe-
mus. Statim de appellationibus earumque modo cognoscendi agitur, tunc
causae exhaeredandi liberos traduntur, subiicitur his sanctio ne credito-
res defuncti sepulturam impediunt et denique de constituta pecunia tra-
statur. Non ita dissimiles sunt materiae constitutione Theodosiana con-
tentae: Quum in ea de iuribus pactorum dotalium et causae inter coniuges
definiantur, sine magnis ambigibus successio coniugum annexi potuit;
de haeredis institutione et donationibus simplicibus ἐν πάραδο verba tan-
tum obuenisse satis adparet, si L. vlt. C. Tb. de legit. haered. cum L. 29.
C. de don. et L. ii. C. de baer. inst. conferre volueris.

pe mariti) dotis commoda lucentur, uxores autem sine remedio legitimo relinquuntur. Sermo antea fuerat imperatori, de omissa d. p. n. insinuatione, quare non poterant non decipi mulieres, cum ipsis quidem donatum esset, attamen effectum donatio habere non posset, propter requisitum deficiens, quod non adhibito subdita erat revocationi. Ex hoc iam patet conditio donationis, ut iisdem casibus lucraret eam viror, quibus maritus lucrum acciperet dotis, id quod egregie illustrat *Nouella Theodosii VII.* quae inuenitur in *L. 5. C. de sec. nupt.* Sed etiam *L. 19. C. de a. n.* naturam indolemque eam esse donationis nostrae fatis explicat, dum ibi legitur: *pactis videlicet de redhibitione vel retentione acceptae dotis vel donationis prout partes consenserint pro iam statuto modo ineundis siue iniungendis veteribus pactis, quea initio nuptiarum de ante nuptias donatione et dote constituenta principaliter inita sunt.* Est haec *LEX IVSTINI IMP.* et in ea de augmento dotis sermo est, qua aucta d. p. n. licet alias ante matrimonium fieri debeat, etiam augeri posse permittitur et pactis dotalibus anterioribus vel stare simpliciter, vel illis super redhibitione et donationis et dotis aliquid adicere posse coniuges, perhibetur. Cur autem redhibitione retentioque dotis et donationis propter nuptias coniunguntur, nisi ea fuerit donationum natura, ut pari passu cum dote ambulent donationes antenuptiales, quare etiam pacta anteriora principaliter super a. n. d. et dote inita esse dicuntur. Cui haec ad probandum non sufficiunt, adeat *Nouellae Iustiniani*, in quibus totum ius harum donationum latissime exponitur. Ita vero earum notio *Nov. 2. c. 5.* subministratur: „*Si enim coniungantur aliqui alterutris cum dotibus et antenuptialis donationis documentis, deinde vir quidem antenuptialem preebeat donationem, mulier autem scribat dotem, aut ipsa praebeat eam, aut dante patre, aut quolibet extraneo, postea appareat, matrimonii tempore dos non data marito, sed sylleinat onera matrimonii et matrimonium morte viri solvatur non est iustum omnino, mulierem dotem non dantem marito, antenuptialem accipere donationem.*“ Attendas ad verba

et matrimonium morte viri solvatur, quae diserte casum exprimunt, in quo vxor alias d. p. n. suam faceret. Vxor autem propterea quod dotem quidem stipulata erat, (cuius ob causam d. p. n. constituta,) quia re vera dotem non dederat, donationem lucrare prohibetur; cuius rei nulla alia ratio esse potest, nisi per d. p. n. lucrum dotis compensatum fuisse. Maritus vero hoc casu eueniente quo ille dotem lucraret, eam non illatam non lucrare poterat, ideoque nil naturalius hac sanctione. In Nou. 119. c. 1. ratio cur d. p. n. simplicium donationum numero non haberri debeat, eastraditur: quoniam pro illa aequalitas dotis offeratur. Subuertas propositionem et naturam d. p. n. habebis, quod pro aequali parte dotis offeratur d. p. n. Coniungas Nou. 127. c. 2. quae, cum in ea Nou. 119. derogetur ad explicationem eo magis adhibenda est. Haec ibi verba: „Si vero dotalium instrumentorum pars et horum eventus parti viri concedant actionem dotis aut eius partis, nullam eum habere iubemus actionem, si non donationem insinuavit in actis monumentorum: sicut praeditum est.“ Nescio an aliquid proferri possit, quod magis demonstret d. p. n. fieri, ut aequalitas inter coniuges obseruetur, neque ab vxore dotem lucraret maritus, haec nullam vero spem haberet emolumenti a marito percipiendi, (s) Accedit quod omnes sanctiones quibus dos et donatio coniunguntur, hac posita natura facile explicari possint, quae vero omni alia adhibita notione insigniter detorquentur. Sit exemplo exacta eius cum dote aequalitas, et etiam sanctio illa per quam in eodem diuortii casu, quo vxor dotem perdat, maritus simul antenuptiale donationem opposito statu amittat; (t) quae res

s) Omissa enim d. p. n. insinuatione, ante Iustiniani sanctiones, (de quibus cap. II. uberior) facile euenire poterat, ut nihil acciperent vxores. Unde haec sanctio in poenam maritorum.

*t) Quia hoc in casu poena adsit, HEINECCIVS diff. cit. §. 28. not. *) has sanctiones ad naturam d. p. n. referri non posse statuit, attamen licet poena adsit, nostra ex notione in promptu est explicatio. Iam antiquitus iniusti ab vxore initi diuortii poena erat, ut dotem perderet, quod satis patet*

res iamnum facile ex ipsis donationis natura explanari potest. Sed sapienti sat! fatis ut videtur probatum dedimus nostram d. p. n. indolem LL. non aduersari; iam ad dissentientes nos conuertamus, cum quibus nunc verba facienda sunt.

§. VIII.

D. p. n. non fit in securitatem dotis.

Primi igitur prodeant, qui ut secura de dote per hanc donationem fiat vxor, sibi aliisque persuadent, in quibus refutandis, argumentis *Pufendorfii*, *Heinectii*, *Rauique*, qui eam spar-tam iam praeoccuparunt, addere tantum quaedam debemus. Varias quidem LL. pro se loquentes adducere solent huius sententiae sectatores, sed eas pro more suo immanni interpretationis modo detorquent. Obiciunt nobis L. 20. C. de d. a. n. L. 29. C. de iur. dot. et Nou. 61. c. 1. in quibus omnibus ne γρῳ quidem pro iis. Circumuentiones de quibus imperatori in L. 20. sermo est fraudesque maritorum non circa dotem, sed ipsam d. p. n. eveniebant, vnde iam totus probandi neruus tollitur, quid quod ex mutatione denominationis nostrae donationis, ut propter nuptias adpelletur, vix species argumenti desumi possit. Pariter vero ineptiunt, ex Nou. 61. sententiam firmaturi, in qua cum de hypothecis sermo sit, et in rem aetio mulieribus post finitum matrimonium in sponsalitia largitate indulgeatur, d. p. n. securitatis causa constitutam esse tantum dicunt, cum alioquin rei vindicatione peti potuisset. Sed ne id urgeamus, per actionem in rem aequa-f

cile

ex L. 5. D. de diu. et repud. et L. 3. C. cod.: nil naturalius porro erat, vt in iisdem casibus contrariis vxor d. p. n. etiam lucaret, quibus maritus dotem, quo facto statim sanctio illa explicari potest. Eo magis naturam d. p. n. haec sanctio circa diuortia prodit, cum hoc in casu tantum non omni patre dotali vis nulla esset, et aut anteriores leges tollendae erant vxori dotem adimentes, aut naturalis constitutio, vt idem ius in d. p. n. obtineret si maritus iniuste diuortii causam praebuisset,

D

cile ipsam rei vindicationem designari, ut sit in *L.* 1. §. 1. *L.* 23.
pr. D. de R. V. tamen mirifice falluntur rem suam hoc modo euictam
 credentes. Prohibet imperator alienationem suppositionemque
 rei immobilis in d. p. n. conscriptae, et iudices non immoderate
 fecisse edicit, qui, licet hoc factum fuerit, vxoriactionem in res
 illas dederint. Rationem sanctionis subiicit, ne lucro fraudarentur
 mulieres, quod tamen de dotis lucro accipere velle ineptum foret:
 quis enim lucrare dici potest dum id quod suum est petat. Ita si ar-
 gumentando procedimus, res immobiles tantum obiectum d. p. n.
 esse posse, ex eadem Nou. facili opera poterit deriuari. Vano
 itidem funguntur labore, si cum WESTENBERGIO in *L.* 29. *C.*
de iure dot. vxori in d. p. n. hypothecam tradi afferunt, valde e-
 nim dubito, quin haec Lex contra illos potius rem conficiat.
 Ipsi vxori marito ad inopiam vergente, dotis simul et d. p. n. pe-
 tendae licentia *L. cit.* conceditur, quis vero unquam audiuit, si-
 mul debitum peti cum re eius in securitatem oppignorata. Obiectioni huic obuiam eunt, simul remunerationem dotis in nostra dona-
 tione cogitant, ipsi vero sibi non constant. Qualis est illa remune-
 ratio, ex qua durante coniugio vxor nullam percipit utilitatem,
 nec propter dotis aequalitatem percipere potest, quia tunc huius
 conditio deterior redderetur: *HUBERVUS Prael. ad I. tit. de don.*
nr. 8. Vnde quid sibi cogitent nisi in dicta dotis securitate utilitas
 remunerationis ponatur, valde dubito: dos vero sine matrimonio
 esse nequit *L.* 3. *L.* 39. *inf. D. de iur. dot.* ideoque sibi contradic-
 unt, finito matrimonio illam demum remunerari credentes. Sed
 age! cur opus adhuc mulieri est singulari hypotheca propter do-
 tem, qualis illi in *L.* 12. *C. qui pot. pign.* indulta est cum iure
 praelationis conjuncta. Ne tali quidem priuilegio intuitu d. p. n.
 gaudet, dum in eadem *L.* lucrum esse adfirmet IVSTINIANVS,
 pro quo se mulieribus non fauere ait. Optime huc monet PV-
 FENDORPIVS *I. c. §. 5.* etiam ante priuilegium in *L.* 12. *C. cit.*
 dotibus indultum, d. p. n. ne securitatem praebere mulieribus
 potuisse, hypothecariasque cautiones quas monente BALDVINO

in

in Iustiniano L. i. p. 157. nominatim adiicere moris erat, ad vtramque et dotem et d. p. n. pertinuisse. Mirifice superea torquentur, qui cum hypotheca dominium mulieri adhuc in rebus p. n. donatis competere afferunt. Dominum certe in re aliena qualis est hypotheca et pignus cogitari non potest. Nugatur ipse potius *V. Cl. SAMMETVS diff. de hypob.* §. 2. dum haec obiciente; nugas agere dicitat; quia ipse illas ut videtur satis non explicauit, et aperte petit quod in principio est. Non conficiunt enim siibi dicit: „quasi unum alterum tolleret, et quid si hypotheca vxori non satis prospiciat;“ ast enim omnino tollit, et si non sufficit, quare cum hypotheca dominium coniungere.

S. IX.

Neque ut de alimentis vxor fiat secura tantum.
Sed iam mittamus hanc sententiam, cui merito cordatorum virorum calculum adiicere potest nemo: contra illos pugnandum est, quorum agmem dicit *HEINECCIVS diff. cit.*, et qui d. p. n. de alimentis vxori prospectum tantum esse defendunt. Praesidium opinionis in *L. 29. C. de iur. dot. L. 19. et 20. C. de d. a. n.* inuenire sibi persuadent; sed an iure faciant videamus. Nitide quidem argumenta subducunt, quod vxor onerum matrimonii caussa dotem inferre teneatur, ipsius autem simul interesse, ut haec ferantur: Quum vero accidere possit, ut maritus ad inopiam delabatur, tunc ut sola vxor ea ferre debeat exigi non possit, ea ex caussa donationes propter nuptias inualuisse, tradunt: per quas vxor secura facta fuerit, quo minus alimenta sibi liberisque eueniente casu deessent. Belle quidem, sed non ita solide, quin nullo modo subverti. Quae enim marito prodigo se tradit, suaque omnia, sibi habeat cum tali nupserit, neque a sola mariti parte stabit omnis culpa. Individua inita vitae consuetudine occasio non deerit, illum obseruandi, in peius ruuentem blan-

ditiis verborumque dulcedine reuocandi. Plerumque vero nostris quidem temporibus illis vitiis magis subsunt feminae quam mariti, quid quod minus imperio maritali, quod iuris Romani patriam potestatem veterem imitabatur, conueniens sit, ea d. p. n. natura. Neque tamen LL. allatae hanc ita produnt, ac sibi videntur huius sententiae sestatores. Edicit L. 29. C. de iure dot. vt liceat marito ad inopiam vergenti vxori, res sibi pro dote et d. p. n. suppositas simul cum rebus extra dotem positis eodem modo repetere, ac si matrimonium esset finitum; his vero rebus ad sustentationem tam sui et mariti quam etiam si adsuerint filiorum abutatur; nec eas alienandi facultate gaudeat. Qua in sanctione dum sibi d. p. n. naturam inuenire persuadent, non perpendunt, hanc tantum conditionem adiectam legi esse, non ipsam Legis rationem (*v*) continere. Constante matrimonio dos regulariter repeti nequit, L. vn. C. si don constant. matr. sol. fuer. ex dote vero cum mariti familia alenda sit; nihil naturalius erat, quam ut vxor, ex repetita dote ad alimonias marito filisque praebendas adigeretur, dosque constante adhuc matrimonio ad id applicaretur, cuius causa data erat. Ex L. 19. et 20. cit. ne argumentum quidem sine obtrectationis specie pro hac sententia desumi potest, cum vtraque de eius insinuatione et constitutione durante matrimonio facta tantum loquatur. Neque ex hac sententia perfecta aequalitas donationis cum dote explanari potest; vterque coniux enim pro suis facilius sumit, mens cuique causenem credat inserviatur.

v) Ex notione d. p. n. nostra iam facilissime ratio subministrari potest, cur in dicta L. 29. d. p. n. petitio durante coniugio vxori indulgeatur; quia fieri adhuc facile poterat, vt conditio existeret, qua vxoris lucro cedere debuisset d. p. n., rebus mariti vero a creditoribus direptis, scilicet quoque eius corpore cum bonis, nihil lucri accipere potuisset, nisi statim petierit vxor. Nihilo vero minus a parte mariti lucrum dotis semper steruisse. Unde magna lux affundi poterit verbis finalibus dictae Legis: „creditoribus scilicet mariti contra eum eiusque res se quas forse adquisuerit integra sua iura babentibus; ipsis etiam marito et uxore post matrimonii dissolutionem, super dote et ante nuptias donatione, pro dotalium instrumentorum tenore, integrumq[ue] iure porturis.

tatibus onera matrimonii subire tantum coetus est, si etiam mutuas reciprocatasque ex matrimonio obligationes concedamus. Accedit id, quod hoc modo intelligi nequeat, quomodo lucrum dici queat *L. 12. C. qui pot. in pign.* quod praecipue etiam urget *V. Cl. P V F E N D. l.c. §. 5.*

§. X.

Neque in Dotē mariti conflit.

Prodeat nunc RAVIVS, et qui cum eo dotem mariti sub d. p. n. inuenire sibi fingunt, quae sententia omnibus perennis non multum ab ea differt, quae §. *praec.* refutata est. Fundat se in matrimoniali societate, cuius onera vxor dotem inferendo sola subiret, nisi maritus rursus aliquid constitueret. Hanc igitur dotem marici ad ferenda matrimonii onera adhiberi, et in mariti administratione esse, facile consequitur RAVIVS *l.c. §. 17.* Ex quo dotis et d. p. n. aequalitas explicari quidem potest, sed persensa hac sententia, ei non ita est comparata, ut sequi possimus. IVSTINIANVS demum perfectae inter dotem et d. p. n. aequalitatis auctor est, longe vero ante eum iam erat nota d. p. n. Quod si vero ad *L. 29. C. de iur. dot.* prouocant, in eaque id sanctum vrgent, vt ad sustentationem mariti donatione abutendum sit; aperre quod est in principio petitur. Quin quum hoc ab vxore tantum fieri debeat, si matrimonio adhuc constante dotem et d. p. n. repeat: ab eo quod exceptio a regula est, consequi non potest; vt maritus d. p. n. ad id idem impendere debeat. Potius id innuit, hunc d. p. n. finem proprium non fuisse, vti iam monuit P V F E N D O R F. *l. c. §. 5.* Sed ne lucrum a parte vxoris vocari posset donatio. Ansam huic sententiae certe praebuit, mos Germanorum de quibus TACITVS, de M. G. c. 18. *Dotem non uxori marito, sed uxori maritus offert:* cuius etiam CAESAR meminait de B. G. Lib. VI. c. 18. *Viri quantas „inquit“ pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis, aequalitatio-*

ne facta, cum dotibus communicant. Nisi meliora sese probassent, huic sane nostram sententiam adiunxissimus; cum certum sit, etiam d. p. n. eosque Romanis incognitas fuisse, vsque dum per exterarum praeципue Germanicarum gentium irruptiones, sensim paullatimque de illarum moribus sibi aliquid adscriperint Romani, veterum morum puritatem derelinquentes. Et in hunc errorem etiam errauit GVIDO PANCROLLVS, *Thef. var. let. L. 2. c. 280. (Tom. II. Thef. Meerm. p. 1398.)* dum longe antea apud Gallos iam simile donationis Romanae antenuptialis sibi deprehendere visus fuit. Mallem vero in his locis communionem bonorum inuenire, quam aliud quidquam. Firmant hoc subsequentia CAESARIS verba, quae hanc communionem ex eaque petitam successionem non obscure innuant; dum „*huius omnis pecuniae coniunctim rationem haberi*“ pergit „*fructusque seruari.* Vter eorum vita alterum superauerit, ad hunc pars vtriusque cum fructibus superiorum temporum peruenit.“ In quibus verbis communio ad quaestus causa inita latere videtur: TACITVM vero vtriusque populi mores conferentem, id non immerito dotem vocasse, quod apud Romanos ita nominari solebat, per se patet.

§. XI.

Neque PUFENDORFIVS punctum tetigit.

Accedimus iam ad ultimam eamque simul grauissimam de d. p. n. notione sententiam, quam tamē deferendam esse duimus. Protulit illam per ill. PUFEND. I. supra c. et in §. 4. super ea his verbis suam mentem explicavit: „*Nobis ita quidem videatur, superstibis ex communi coningio liberis, vxoris lucro donationem antenuptialem praemortuo marito semper cessisse, etiam si de luctuosa ea in partis dotalibus nihil expressum esset: ceterum liberis nullis superstibis, nihil inde lucri vxori venisse, nisi quidem nominatim de ea re conuenisset.*“ Haec tenus ille: Corroborat suam sententiam ex Nou. Leon. 20, quam non parum ponderis pro ea afferre

ferre fatendum est. Non tamen eam ob caussam rem deserendam putamus, neque propter Leonis auctoritatem lucrum πολυπαιδίας statuere possumus: Quamuis enim omnibus ceteris proprius haec sententia ad veram d. p. n. naturam accedat, veram tamen quae huius donationis essentiam facit conditionem, minime perspectam habuit PUFENDORFIVS. Verba vero LEONIS quibus innititur sententia contraria, obscuritatem vt pariant necesse est: si enim in *Nou. cit. vt nisi liberi extiterint, nec pactum subefset, ex aequo ad utrumque sua reuerterentur legitur; adieatio ex aequo, aut plane superflua esse debet, aut sensum contrarium continere.* Ita etiam quomodo donatio adpellanda sit quaeri potest, quae apud donatorem remanet, nisi id ipsi adiectum. Si prorsus *Leoninam sationem* intuemur, in ea explicationem eius quod iure Iustinianeo statutum est tantum inuenimus; quis vero negaret eandem (x) iam ante hunc adfuisse donationem. IVSTINIANVS autem de pacto orbitatis *Nou. 2. c. 2.* edicit: hunc casum non existentium liberorum a se primo introductum esse, vnde non potest non ante eum fuisse ignotus, et cum eo natura d. p. n., si in hoc quaerenda foret. De super ibi de proprietate et alienatione d. p. n. loquitur, quatenus secundis postea initis nuptiis valere debeat, et si omnes filii praemortui fuerint, vt secundum pactum liberorum non existentium valorem habest sanctitur. Nemo non videt, hoc loco poenam secundarum nuptiarum que Romanis exosae semper erant, constitui, vnde aut totus certe fallor, aut LEO PHILOSOPHVS diuersa iura commiscuit; dum si illud esset, alio loco haec donationis natura proderetur. Nullam, vero de secundis nuptiis

^{x)} Sunt quidem, qui cum LOBETHANIO in der Ebe Rechtsgelartheit p. 134. ingeniose quidem satis, nescio vero an iure distinguentes duplēcē ponunt donationis nuptialis speciem; alteram ante nuptias vocatam, in securitatem dotis illatae, alteram a IVSTINIANO demum ordinatam et propter nuptias dictam, vt de alimentis secura fiat vxor durante matrimonio. Qua sententia quidem Lauerbachiana sententia Heineccio conciliatur, attamen LL. funditus contraria enascitur; dum potius unam tantum d. a. n. postea propter nuptias vocatam adfuisse, satis adpareret, ex L. vlt. C. de d. n. u.

ptiis ad id, quod illis non fecutis obtinet, admittimus consequentiam. Solent etiam ut paeclare *V. Cl. ECKHARDVS*, quem nimis maturo fato litteris eruptum omnes boni lugent, *in Hermeneut. iur. §. CCCIV.* nos monet; suorum temporum iurisprudentiam cum veteri passim miscere Graeci, qui igitur nisi caute procedamus, nos facile in errores ducere possunt. Confer etiam nitidissimam diff. *V. Cl. I. E. L. PVETTMANNI de querela officiosi fratr. vter. haud conc. c. 3.* Quid quod ipse *LEO* plane aliud ius d. p. n. suorum temporum adgnouit, ac illud, in quod per *Iustiniani sanctiones efformatum erat*, ut igitur facile confundere eas potuerit; licet alias non imperitus sed doctus potius fuerit, hoc euincente *CASP. ACHAT. BECKIO*, *in Comment. de Nou. Leon. earumque usuet aut. C. I. §. 2. seq.* Dolendum est, constitutionem ad quam in *Nou. 2.* se refert *IUSTINIANVS*, qua pactum hoc introduxerit, temporum iniuria ad nos non integrum peruenisse: faciliori tunc modo tricæ solui possent. Quae vero ex illa in *L. II. C. de sec. nupt. a CVIACIO et ANT. AVGUSTINO* restituta sunt, epitome tantum continent, et quamvis *Nou. 2.* illustrare possint, hunc ad passum rem non conficiunt. Neque minus ibide secundis nuptiis sermo est, quare non ita apte ad naturam d. p. n. traherentur. Scimus pacisci potuisse de eueniente lucro dotis et d. p. n. variisque conditionibus illud adstringere, vnde diuersorum casuum (y) in iure mentio fit, etiam super eo casu si non exciterint liberi

(y) Satis constat, pactis dotalibus super retentione et restitutione dotis et d. p. n. pactum fuisse, saepiusque conuenisse ne dos tota sed tantum pro parte in mariti lucrum cederet. *L. 9. C. de paſt. conu.* Similes in *L. cit.* conditiones et recipere debere d. p. n. edicunt *LEO* et *ANTHEMIVS IMP P.* vt ita pro quanta parte dos marito, pro tanta etiam d. p. n. vxori cederet. Talia pacta, cum indotata mulier non redareretur et ita dotis conditio deterior hand fieret, iniipi potuisse certum est ex *L. 14. et 16. D. de paſt. dor.* Conditiones vero ipsae, quibus perceptio lucrèx dote ad stringebatur, *casus* etiam vocabantur; vnde in *L. vlt. C. de iur. dor.* mulier rehibitionem casus stipulari dicitur, ita nempe ut contrario conditionis eventu ex d. p. n. totidem lucrareret; ac maritus ex dote. Vnde etiam

liberi pacisci potuisse; minime vero inde consequitur, quia pacto super lucro disponi potest, eo non existente nullum lucrum pondendum est. (z) Minus vero adhuc pro P V F E N D O R F I O facit Nou. 61. c. 1. § 3. dum in hac, si ibi verba leguntur „et rursus haec remonent apud substantiam viri“ accipienda sunt de casu, quo simul cum dote etiam d. p. n. retinebat maritus. Sit vero L E O N I fides, tamen ante I V S T I N I A N U M cognitam fuisse scimus donationem nostram, pactum vero orbitatis ab hoc demum introductum. Vnde defensioni nostrae notionis diutius non immoraturi, ad ultiora iam progredimur.

CAPVT H.

- ipsum lucrum e dote, a marito secundum pactorum nuptialium tenorem percipiendum, casus vocari consuevit, sicut illud quod vxor percipit hypobolum, vid. V. Cl. SAMMETVS diff. cir. §. 4. CANGIVS, Gloss. voce casus. Plures huiuscmodi casus solitos fuisse pangere, ex L. vlt. cir. adaptaret: praecipue in casum diuortii, mortis, orbitatis, mortis liberorum, positos memorat DION. GOTHOFREDVS, ad L. ii. C. de sec. mupt. Ex his facile lux affundi potest assertioni I V S T I N I A N I, quod ipse primus pactum non existentium filiorum introducerit, neque ex illo pacto pro P V F E N D O R F I O aliiquid deduci posse sequitur. Ea potius quam tradidimus notio, eo melius elucet, ut per d. p. n. Lucrum dotis vxori compensetur, quia in L. vlt. C. de jur. dor. expresse mulier redhibitionem causus (quem sibi stipulatus erat maritus) d. p. n. compensandam postulauerat, quam vero compensationem donationes insinuare omittendo in urilem reddere studebant mariti, bona tantum vxorum anhelantes.
- * Satis etiam P V F E N D O R F I V M, dum hanc naturam d. p. n. statuit, refellit Nouella VALENTINIANI XII. in qua, si sine liberis procreatis matrimonium finitum esset, dimidiam d. p. n. retinere tantum posse vxorem fancitur, si parentes defuncto adefcent: Non existentibus vero parentibus, totam retainere vxorem perhibetur. Idem simul et in dote valere praecepitur, si maritus eius lucrum acciperet. Ex quo, tum nostra notio confirmatur, tum etiam nouum robur accedit sententiae d. p. n. originem, in illis donationibus reperiri, quae in latiori significatu ante nuptias factae dicuntur, de quibus Constantianam sanctionem in L. 16. C. d. a. n. iana adduximus, ad cuius similitudinem haec profecta videtur. Same haec Valentiniiani sanctione non opus fuisset, si nullis liberis existentibus nullum etiam lucrum ad vxores pertinuisset, nisi id specialiter pactum,
- E
- (Annotatio in margine dextra)
- 5

CAPUT II.

QVO VICISSITUDINES DONATIONIS PROPTER NV.
PTIAS RECENSENTVR.

Origo d. p. n. indigitatur, §. 12. 13.

§. XII.

Ex praecedentibus satis, ut arbitramur, quae notio d. p. n. ponenda sit, adparebit, iam diuersus harum donationum status atque conditio secundum temporum periodos explicandus est; cui operi caput secundum adsignauimus. Ante vero quam ipsae vicissitudines rite explanari possint, terminus a quo figendum est, ordinisque ratio, ut periodus, in qua donationum nostrarum origo ponenda sit, indicatur, deposita. In quo vix credideris, quam diuersae iterum obtineant sententiae. **A**EMILIUS FERRETVS originem illarum ad **DIOCLETIANVM** et **MAXIMIANVM** IMPP. refert; **C**ONSTANTINVM M. eas adornasse tradit **ANT. CONTIVS**, et cum eo **HORTENSIVS**. **GYPHANIVS** Imperatores Orientales indeterminate auctores vocat, quarum omnium opinionum enumerationem si desideras, euoluas **HEINECCIVM**, *bif. cit. C. I. §. 3-7. et GRVPENIVM, l. cit. C. V. §. 18. p. 241.* Omnes has sententias relict **HEINECCIVS**, *l. c. et THEODOSIVM IVN. et VALENTINIANVM IMPP.* in constitutione, cuius ad §. 6. meminimus, d. p. n. **A. C. 428.** introdusisse censer. In quo vero certissima via ingredi cupiens falsam tamen adoptauit opinionem, et tardiuscule nimis originem illarum posuit. **N**ontra enim ex sententia in moribus (*a*) prima

a) Non insolitus aliquid hoc modo statuere videmur; quam praeclarissima enim iuris instituta e moribus orta sint, ne iuris tirones ignorare putamus.

ponenda sunt d. p. n. incunabula et his demum firmatae per sanctio-
nes legales ordinatae fuerunt. Ipsas vero d. a. n. latiori significatu,
dum antiquis temporibus iam in moribus fuisse, nemo facile nega-
uerit; ipse simul tacite conuenit, nostras donationes progressu
temporum simul cum his inualuisse. Quibus positis cum difficile
semper sit, primam morum indicare originem; id tantum tempus
erui oportet, quo prima in iure Romano d. p. n. vestigia occurrant.
Veteribus ICtis (b) plane incognitas fuisse et a iunioribus diuis
Imperatoribus introductas, perhibet TRIBONIANVS, §. 3. I.
de donat. Proinde assertioni nostrae contradicere videretur, quod
a diuis iunioribus Imperatoribus introductae dicantur ideoque a
moribus non posse repeti originem earum. Ast haec tricam non
amplius mouebunt, dum eam formam donationum ab illis profi-
ciam esse perpendimus, ut necessitatem earum sanxerint, si dotis
lucro vellet fruimarus. Haec dandi necessitas, cum antea libero

E 2

Exemplo sit querela inofficioi testamenti et portio legitima. Quam plu-
rimam etiam per mores ipsae leges abrogatae aut illis derogatum fuit:
vide BACHIVM, in *Hist. iur. Lib. II. C. II. Sect. 6. §. 3.* et IOH. GO-
DOFR. RICHTERVM in *diff. de moribus maiorum tanquam antiquissimo iur.*
Romani fonte. Lips. 1744. habita, p. 21.

- b) Totum in eo punctum situm est, ut indicetur qui in *cir. §. veteres ICtis* sunt,
et qui *iuniores Imperatores.* In quo falli non credimus, si veteres ICtos
illos nominamus, qui fragmentorum in D. relatorum superant aetatem,
cum et hi, qui tempore rep. liberae aut saltē prioribus sub Imperatorib-
us vixerunt veteres adpellentur in *L. 3. §. 19. D. de A. V. O. P.* inter quos
ultimo reputant Sabinius et Cassius vide sis C.H.R. GODOFR. HOFFMAN-
NVM, in *Hist. Iur. p. 129. (ed. de a. 1718.)* In determinandis iunioribus Imperatoribus ad CONSTANTINVM usque adscendere vetat §. 2. I. *de don.*
vbi insinuationem donationum per veterū Imperatorum constitutions
praeceptam esse, praedicatur; has vero a CONSTANTIO CHLORO
introducedas, a CONSTANTINO M. confirmatas esse, parer ex *L. 1. C. Tb.*
de sponful. Vnde sine dubio THEODOSIVM IVN. et VALENTINIA-
NV M IMPR. denotasse videretur *Tribonianus.* qui has donationes sanctio-
nibus suis magis efformare coeperunt.

in arbitrio versaretur donationis, ut a veteribus Ictis ignoraretur, erat necesse. Hoc igitur modo, dum in solis moribus tempore D. confisterent haec donationes, id contranos non probat, quod in fragmentis ICtorum mentionem expressam illarum factam non legamus. Nollemus igitur FRANCISCI BALDVINI, in *Iustiniano* p. 99. de d. p. n. censuram nostram facere, dum inquit: *Nulla in Pandectis eius donationis mentio sit: Sed posteriorum Casuarum tempore, quo barbaries videtur imminuisse dignitatem virorum, et eos nescio quo modo uxorios fecisse; in usu esse coepit.* Haec ille: Quamvis vero sanctiones in L. 5. pr. D. de don. int. V. et U. de illis donationibus sensu latiori sumtis accipere malimus, nostrae tamen donationis nisi vestigium, certe multum appropinquans inuenimus in L. 72. pr. D. de iur. dot. (c) Quo posito iam a seculo inde tertio notam fuisse d. p. n. adparet; cum PAVLLI aetas ad ALEXANDRI SEVERI tempora referenda sit, sub quo Praefectus praetorio fuit, si credimus LAMPRIDIO, in Alex. c. 36. vide BACHIVM, *Hist. Iur. Lib. III. c. II. Sect. 5. §. 31. et B.G. STRVIVM, hist. Iurispr. II. 8. p. 244.*

S. XIII.

c) In hac Lege PAVLLVS responderet: *eum, qui tota re promissione dotis bona mulieris rerinit, a creditoribus eius conueniri non posse, sed non plus esse in promissione honorum, quam quod superest deducto aere alieno.* Non occulte meminit PAVLLVS re promissionis dotis, propter quam maritus omnina bona uxoris quas in dotem promiserat, retinere ponitur. Hanc si dotis re promissionem cum d. p. n. comparamus, statim adparet similitudo. Quum vero alienatio subfasset in fraudem creditorum, probe a ICto responsum est; promissionem mariti pariter ac feminae non intelligi posse, nisi quatenus deducto aere alieno aliquid ex bonis supereffet. Dotem autem tribus potissimum modis constitutam fuisse constat: aut datam, aut dictam, aut promissam. Solemnitates visitatas in hac constitutione dotis vide sis, apud perill. de SELCHOW, *Antiqu. Iur. Rom.* §. 450 seq. G R V PENIVM, l. c. C. 3. §. 8. p. 63. seq. et BRISSONIVM, *de formulis VI.* 125. Dum dos promitteretur, stipulationes adhiberi solitas fuisse patet ex PLAVTO, in *Trinum. V. 2. 34. seq.* qualem dotis constitutionem fine dubio hoc loco subintellexit PAVLLVS, dum re promissam dotem esse tradit a marito.

§. XIII.

Licet igitur rationes ad sint, quae iure D. iam cognitam fuisse donationum nuptialium naturam satis probabile reddant: certo tamen illud adfirmari nequit; tum, quia L. 72. cit. aliter etiam explicari posset, tum vero potissimum, quia plane deficiunt indicia clariora. Satis autem id exploratum est, progressu temporum eas magis magisque inualuisse. Iam obuenisse saepius DIOCLETIANI et MAXIMIANI temporibus, quamplurima illorum rescripta in Codicem repetitae praelectionis relata nos faciunt suspicari, quamuis etiam in iis nomen donationis non legatur sed tantum sponsalium denominatione comprehendantur. Inueniuntur haec rescripta in L. vlt. C. de ing. manum. L. 1. C. Si adu. don. L. 8. C. de praed. et al. reb. min. non alien. Vrgebunt quidem cum HELNECCIO, non exploratum esse, ibi d. p. n. intelligi, et haec de d. a. n. latius summis accipi debere, quia sponsaliorum tantum mentio fiat; cum vero ipse diff. cit. §. 6. not. *) ad mundum muliebrem praecipue res ita donatas pertinuisse tradat, quomodo id explicare poterunt, si tota praedia donata esse perhibeantur. Maior certe do-
natio, vt pro mera liberalitate accipi possit. Accedit quod simul sponsaliorum nomine ante nuptias donata dicantur L. 8. cit., ideoque pro arrhis sponsalitiis accipi nequeant, cum hae contracto matrimonio redderentur: vide HOFFMANNVM diff. cit. §. 3. not. b. Iuuat totam hanc legem apponere. IMP. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS A. A. THEODORAE: (d) Praedia rustica, quae contra SCrum data esse ante nuptias sponsaliorum nomine precum iuvarum confessio ostendit; cum proprietas ad te propter iuris interditum transfire non potuerit, in domino mariti, permanesse certum est.

E 3

E) Vnum rescriptum videtur effecisse cum L. 1. C. si aduers. donar. quia haec eandem subscriptionem et inscriptionem adgnoscit. Ex qua Lege etiam ipsam inscriptionem emendauiimus, cum in L. 8. C. cit. legatur: Theodorae, quod vero mendum librariorum esse fatis adpareat; dum ad ipsam hanc Theodoram plura rescripta data sunt, vt L. 3. C. si minor se major. dix. et L. 8. C. de flaru defuncti.

est. P.P.3 Non. Nou. DIOCLET. et ARISTOBULO COSS. Non quidem id prohibet Lex; ne praedia in a. n. d. conferantur, sed alia ex ratione juris interdictum, cur in dominio mariti permanferit donatio, explicandum est. SCco enim contraria erat haec donationis, quod ad orationem D. SEVERI, TERTYLLI ET CLEMENTE COSS. latum esse docet VLPIANVS, L. I. §. I. D. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. sunt, et quo res minorum immobiles sine decreto iudicis interposito alienari prohibebantur, ad quod SCtum etiam prouocat L. I. C. eod. Quamuis vero maritum dominantem minorem fuisse non exprimatur, legis in hunc titulum relatione id satis conuincit. Quibus positis DIOCLETIANI temporibus d. p. n. cognitam iam fuisse, satis adparet. Sed certo persuasum habemus HEINECCIVM originis periodum non ita tardam positurum fuisse, nisi diligentiae eius L. 22. C. de adm. tutela effugisset, quae a CONSTANTINO M. ad populum lata est; in qua nisi cauillari malueris eius mentionem satis apertam inuenieris in his verbis: *Praecipimus itaque, ut haec omnia nulli tutorum curatorumque liceat vendere, nisi hac forte necessitate et lege, quae rusticum praedium atque mancipium vendere, vel pignorare, vel in donationem propter nuptias, vel in dotem dare in praeteritum licebat;* (e) scilicet per inquisitionem iudicis et probationem causae, interpositionemque decreti, ut fraudi locus non sit. Meminit hic in sanctione expressis verbis CONSTANTINVS d. p. n. eamque cum dote in eadem coniunctione ponit, idque iam in praeteritum tempus licuisse adfirmsat. Ex quo satis iam ante eum cognitas fuisse d. p. n. elucet. Opponi quidem potest, in melioris notae codicis.

(e) Legendum crediderim dicebat; aut loco vocis *quae* ponendum esse *qua* cum alioquin vitium orationis adforet. Facilis vero litterarum d. et l. eueneire potuit confusio, si antiquum scribendi morem reputamus; quid quod iam circa hanc Legem plures variantes lectiones reperiantur. Ex contextu vero satis adparet, ad praeteritam sanctionem se referre CONSTANTINVM, cuius ad modulum etiam alienationes praediorum ~~urbano~~rum atque rerum preciosarum aestimari vult, quarum alienatio necessitatibus antea erat; ut ex principio Legis adparet.

dicibus MSCptis non reperiri illa verba; *in donationem*, quod etiam in editione Contiana de ao. 1571. admonitum est: id quod facile nobis denominatio propter nuptias demum a Iustiniiano profecta persuadet. Sed quamvis merito huc per incuriam librarium ea verba in textum irrepsisse concedamus; sententiae tamen inde nostrae nihil decrescit. Manebit semper in tuto huc d.p.n. intelligi, tum quia propter ipsas nuptias dari debeat res alienanda; tum ex illa relatione quae inter dotem et hanc donationem intercedit, et quam satis clare hoc loco proditam inuenimus; dum curatori minoris marici eodem in casu, alienatio cum decreto interposito concedatur, quo minoris feminae curator praedium hoc modo alienare posset, ut dos nubenti constituantur. Hanc vero donationem iterum de d. a. n. latiori sensu sumta accipere ineptum foret; dum perpendimus, iure D. munera nuptialia tutoribus dare non licuisse. *L. 13. §. 2. D. de adm. tut. L. 1. §. 5. D. de tutel. et rat. dislr.* Coniungas *L. 22. cit. cum L. 8. C. de. praed. et aliis reb. min.*, et amplius iure dubitare non poteris, anteriores esse donationes p. n. illi periodo, quam HEINECCIVS sola ex ratione adsumisse videtur, quod diuis a iunioribus principibus introductae dicantur §. 3. *I. de don.* Ante annum CHRISTI 428. in numeris in LL. vestigia donationis nostrae poteris deprehendere, in quibus quamvis non semper nominatim habeatur donatio nostra, satis tamen notio quam supra dedimus subiacet, ut in *L. 3. C. Th. de spons. L. 2. C. Th. derepub.*, *L. 3. et 4. C. Iusl. de sec. nupt. L. 4. C. de inc. et inut. nupt. L. vn. si sec. nupserit mulier.* Sane in *L. 3. C. de sec. nupt.* id omne ut restituant vxores secundo nubentes sanctitur, quod ex facultatibus priorum maritorum sponsalorum iure, quidquid etiam nuptiarum solemnitate percepérint; quibus in verbis nescio quomodo donationes a. n. latius ita dictas accipere possit HEINECCIVS; dum speciale ius harum donationum esse exprimitur, ab illis donationibus diuersum, quas nuptiarum solemnitate percepérat, quas tamen diuerso a donationibus simplicibus modulo metiendas esse haud conuenit.

§. XIV.

§. XIV.

Status donationum nuptialium usque ad THEO-

DOSIVM IVN.

Primam igitur periodum ponamus, usque ad THEO-
DOSIVM et VALENTINIANVM IMPP. cum ante
illarum constitutionem ao. 428. perlatam, cognitam quidem fuisse d. p. n. naturam fatis probatum sit, attamen LL. aliquid super
iis specialiter definiuntur. Vix vero hoc tempore in-
ter d. a. n. et simplices donationes intercedebat diuersitas, nisi ea,
quam ipsa harum donationum natura atque conditio postulabat;
ideoque et omnia requisita necessaria fuisse patet ad eam legitime
constituendam, quae in ceteris donationibus desiderarentur. Quum
igitur L. *Cincia de munib. nuda voluntate perfici donationes ve-*
tuisset, et aut mancipari aut tradi iussisset; idem in donationibus
a. n. obtinere debebat. (f) Neque magis a ceteris donationibus
in eo differebant, quod insinuatio (g) iis esset remissa, cum eas
potius

f) Quamvis enim in aliis donationibus vclusfructus retentio pro traditione ha-
beretur; vide IAC. GOTHOFREDVM in Comm. ad L. 9. C. Tb. de donat.
in hac donatione differentiam parere hoc non poterat, quia non expresse
sibi illum stipulari necesse erat marito, quam iam per conditionem do-
nationis vxor vclusfructum habere non posset.

g) Hanc insinuandi necessitatem a CONSTANTIO CHLORO (aut certe MA-
XIMIANO cuius filiam sibi despoderat CONSTANTINVS M.) intro-
ductam demum esse, pater ex L. 1. C. Tb. de spons., qua patrem suum
hoc introduisse fatetur CONSTANTINVS: qui praeterea ut in scriptis
fieret sanxit in L. 25. C. de donat. Non igitur ex L. Cincia repentina est
haec insinuandi necessitas hanc enim de modo donationum minime
egisse, satis euicit GERH. MEERMANNVS, V. Cl. in not. ad Vlp. tit. I.
(Thef. Meerm. VII. p. 741.) quum verba „veluti lex Cincia, quae in plurimis
editionibus horum fragmentorum legantur, non VLPIANO tribui debant,
quia in melioris notae Codicibus vtpote Tiliiano et Aureliano non extant, sed ex
CVIACII ingenio orta sint; prout ipse fatari videtur; Obf. 30. Lib. 19.
quem eriam in adstruendo secundo huius legis capite nimium fecutus est

VIA

potius sine insinuatione non valere perhibeat L. i. C. Th. de spons. L. 6. C. Th. de don., a qua sanctione secundum Constantinianam sanctionem in L. 3. C. Th. eod. exceptio tantum siebat in minore aetate constitutis, si mariti has donationes insinuare omisissent. Praecipuum vero requisitum in constituenda tali donatione obuersabatur in eo, quod ante initum matrimonium fieri deberet, ideoque iam inito matrimonio, minime constitui poterat. Constituta vero effectum habebat ut contrario in casu quo maritus dotem acciperet, vxori illam donationem lucraret, aut totam, aut pro pa-

cto.

FRID. BRVMMERVS, in elegantiſſimo Commentario ad L. Cinciam, C. XII. (in Brunnerianis ex ed. Beyeri p. 185.) Fragmenta ICtorum enim quae hic refert cum nullam mentionem faciunt L. Cinciae ad aliam posteriorem facile trahi possunt. Neque etiam per insinuationis necessitatem L. Cinciae derogatum est, ut traditio aut mancipatio minus necessaria esset, quod statuunt HOTOMANNVS, in disp. de don. c. 9. et RANCHINVS, libr. 2. var. lect. c. 7. sed onus insinuationis atque in scriptis perficiendi, traditioni adhuc superadditum fuit, ut satis probauit BRVMMERVS, I. c. C. XV. p. 254. qui simul formam insinuationis latius persequitur. Omnem omnino donationem sine hac formâ non valuisse patet ex L. 3. C. Th. de don., progressu tamen temporum ab hoc rigore recessisse Imperatores et nisi CC. solidos aureos superasset non requisiuerit eam, satis patet ex §. 2. I. de don. Vnde iterum dissentimus ab HEINECCIO qui in diff. cit. C. I. §. 17. nor.**) priuilegiis instar tantum insinuationem d. p. n. ad hanc usque suminram remissam esse in L. vlt. C. Th. de sponsal. contendit, quod progressu temporum demum in ceteris donationibus obtinuerit. Contradicunt enim, tum ipsa §. 2. I. de don., tum verba Theodosii in constitutione, quam ad §. 6. supra rerulimus, cum eum nihil noui statuere, sed potius ius suorum temporum confirmare voluisse, adparet. Neque ex L. 34. C. de don. probatio defumus potest, dum tantum fauorem praecipuum non habere debere d.p.n. intuitu insinuationis mens sit Imperatoris, qualem propter dotum exaequationem flagitare viderentur, vt pote quae insinuationi non subessent. Et facili modo hoc loco in errorem delabi potuit PAPIANVS, tit. 23. respons. scriptor Burgundicus, teste IAC. GOTHOFREDO, Man. Iur. in Bibl. Iur. ciu. Rom. c. 2. §. 11. cuius exclusio donationum simplificium rem confidere nequit. Vide sis, quae ad eius locum monuit ANT. SCHVLTINGIVS, in Iurispr. Antic. p. 841. ed. Lugd.

F

etorum superea initiorum tenore; arg. L. II. C. sol. matr. Ideoque etiam simul suis sanctionibus has donationes amplecti cooperunt Imperatores, si forte dotis detrimentum iniunxit vxori, ut contrario in flagitio maritus d. p. n. perderet: sic hoc in L. 2. C. Th. de repud. sanctum inuenimus, vt si nullas propter causas LL. probatas, maritus repudium misset, vxor donationem sibi haberet simul cum doce, quia si vxor id fecisset, vtraque apud mariatum remanebat. Ita acceptam donationem vxor pleno proprietatis iure adquirebat, quamvis iterum illo excidere posset. Iam enim GRATIANVS, VALENTINIANVS et THEODOSIVS in L. 2. C. de sec. nupt. praeter infamiam, vxori iniunixerant, vt omnia perderet, quae a priore marito acceperat, si intra tempus luctus nupisset. (h) Idem in L. 3. C. de sec. nupt. vsum fructum donationis illi tantum reliquerant, si exstantibus liberis ad ulteriora vota transiisset, proprietatem filiis assignata, inter quos tamen eligendi iure gauderet mater, ita vt totam d. p. n. aut tamen maximam eius partem vni filiorum cui plurimum faveret attribuere posset. Amisam hoc modo proprietatem alienandique facultatem non aliter recuperabat, nisi omnes filii mortui essent, quum etiam si liberis simul cum defuncti fratribus succederet ex SCto Tertulliano, tamen vsum fructum tantum percipere posset ex ipsa hac sanctione, quae denovo confirmata est in L. 3. C. eod. a THEODOSIO et VALENTINIANO ad annum 412. perlata.

Status d. p. n. a THEODOSIO IVN. usque ad
IVSTINVM §. 15. 16.

§. XV.

Constituto hoc donationum antenuptialium iure quid illi in secunda periodo adrogatum sit, iam erit videndum; quam ad

b) Ex sententia patrum sine dubio promanauit haec sanctio; dum in Concilio Constantinopolitani tempora incidat, vt IAC. GOTHOFREDVS animaduertit in Comm. ad L. 1. C. Th. b. 2.

ad IUSTINI sanctiones usque extendere liceat. Vberiores hac periodo inuenimus sanctiones circa d. p. n., potissimumque circa eas occupati fuerunt, IMP. THEODOSIVS et cum eo VALENTINIANVS, ET LEO et ANTHEMIVS quorum constitutionibus non parvas tulic mutationes vetus d. a. n. status. Quoad constitutionem enim, cum in scriptis proferendi donationes necessicas, nimis molestias afficeret donatores; CONSTANTINILEX iam facta fuerat precaria, ideoque non amplius in d. a. n. requiebat, cum nunc in simplici donatione haud desideraretur *L. 29.* *C. de don.* Et quamvis adhuc ante nuptias celebranda esset, traditionem tamen nostrae donationi remiserunt THEODOSIVS et VALENTINIANVS, in *L. vlt. C. Th. spons.*, ne vxores fraudibus mariti his commidis propter nimiam iuris scrupulositatem fraudarentur. Desuper insinuationis necessitas tantum aderat, si ultra cc. solidos donatio progrederetur, quae tamen pariter ante nuptias fieri debebat, cum posterioribus demum temporibus constante matrimonio etiam haec permitteretur ex lege IUSTINIANI, in *L. vlt. §. fin. C. de d. a. n.* Omissa vero d. a. n. insinuatione, si tempore nuptiarum minor fuerat vxor et patre orbata, restitutio ne in integrum illi iam succurrebat ex *L. 3. C. Th. de spons.*; (i) quam in *L. vlt. eod.* iterum confirmarunt praedicti Imperatores. Necessitas constituendae d. p. n. si maritus aliquid ex dote ab uxori inferenda lucrare vellat, his etiam temporibus in *L. vlt. C. Th. de spons.* conspicitur, quae igitur a THEODOSIO et VALENTINIANO in saepius laudata constitutione introducta esse videtur, quamvis in laciniis quae ex illa supersunt non ita manifeste ad pa-

F 2

reat,

(i) Accedere hoc loco non possumus sententiae IAC. GOTHOFREDI qui in *Comm. ad b. l.* insinuationes eapropter in d. a. n. requisitas fuisse tradit, ne quid in fraudem legis agi, et donatio inter virum et vxorem celebrari posset. Quae quidem ratio Justiniano aeuo melius applicari potest, quo post nuptias fieri poterant hae donationes, attamen in hoc tempus non quadrat, quo ante nuptias perfici debebant; ideoque eadem ratio huc tantum valere potest, propter quam in ceteris donationibus insinuatione desiderabatur, ut ipso ne donando homines se perdere properarent.

reat, ac in L. 9. C. de paet. conu., in qua LEO et ANTHEMIVS aequalia pacta eam super dote quam donatione ineunda esse iubent, idque iritum pronunciant, quod contra hanc legem esset conuentum. Qua tamen sanctione nondum id constituebatur, ut eiusdem quantitatis esse deberent dos et donatio, sed dote maior minorue esse poterat donatio, pro dantis liberalitate; modo pacta de lucro aequalia essent. Quo facto cum eadem pars quanta donis quam sibi stipularetur maritus, vxori de d. a. n. pariter tribuenda esset; (k) maiorem lucem accipit, tum notio cap. prae*c.* assumta, tum elucet, quod dos L E O N I S tempore minime mariti lucro cesserit, nisi d. a. n. facta. (l) Satis enim exprimitur non maiorem

k) Facili opera inde deduci potest ratio, cur d. a. n. visu esse coeperint, vt nimur vxores pactis de reddenda dote minus vterentur, quum ne oblata quidem donatione penitus impediri posset ea pacta, sed pluribus in casibus pars quadam in restitutionem veniret. Hoc loco de casu mortis sanxisse Imperatores certum est, quamuis ad pactiones super quocunque casu se extendisse sanctionem, L. 10. C. d. paet. conu. euincat. Hic casus qui in pactione erat si non accidisset, sed alius forsan e. g. diuortii aut repudiis, totam aut dotem aut donationem venibilem, statim patet. Lucrum ipsum ex pactione veniens igitur casum quasi casu obueniens vocatum fuisse supra iam notauiimus, quum incertum semper esset, an euenturus esset. Casus militiarum vero cuius meminit IVSTINIANVS, in Nou. 35. v. et Nou. 53. c. 5. et Nou. 97. c. 4. non ad has donationes pertinet, vt visum fuit DION. GOTHOFREDO, ad L. 11. C. de sec. mupt. sed in pecunia confisit, quod ei qui pretio militiam rotagatam sibi emerat, et eius haeredibus a successore in militia solvendum esset, quoque ex scholae placito i. e. voto collegii in quo militabat, determinabatur. Conf. de his scholis IAC. GVTHERIVM, de off. dom. Aug. L. II. c. 14. De militiae casu parieruditione et elegantia egit FRANC. RAGVELLV, ad L. 30. C. de inoff. teſt. in solidae doctrinae Commentario ad constitutiones et Decisiones Iustiniani, Par. ris. 160; vide sis. et SAMMETVM V. Cl., diff. cir. §. 4.

l) Optime vero dandae donationis necessitatem comprobat L. vn. §. 6. C. de Rei vx. art., in qua cauetur, vt dos matrimonio quocunque modo finito, actione ex stipulatu repeti posfit, neque ea nisi quibusdam ex pactiōibus (quibus nil aliud ac d. p. n. subintelligere potuit IVSTINIANVS,) a marito refineretur. Patet etiam ex Nou. 91. c. 2. in qua si per maritum steriffet, ne dos illata sit, d. p. n. exactiōnem declinari non posse constituit Iustinianus.

rem partem in relatione ad totam dotem determinatam habiturum esse maritum ac quantam vxor sibi ex d. a. n. esset stipulata. Pro-uti igitur pacto conuentum esset, vxor aut totam accipiebat donationem aut parte eiusdem contenta esse debebat. (m) Quamuis vero talia pacta rarius omissa esse certum sit: tamen si nihil nominatum de donationis lucro conuenisset, totam vxori cessisse, eo minus dubitamus, quo magis pactis illud potius restringi solitum fuisse ubique adparet. Docet hoc *Nov. XII. VALENTINIANI de episc. iudic.* in qua illud demum nonnihil immutatum deprehendimus, dum in hac sanctitur, ut in casu matrimonii improlis, si defuncto coniugi parentes superessent, dimidia tantum d. a. n. vxori cedere deberet, pariterque intuitu mariti in dote si contrarius casus accidisset. Ante hanc igitur constitutionem tota aut dos aut donatio apud remanentem residuebat. Lubet vero **VALEN-**
TINIANVS, illud locum habere, *si nullis interpositis conditionibus* *dos fuerit viro attributa*; ex quo satis superque patet, vim sanctio-
nis tunc se extendere, si pactum nullum de lucro initum fuisse, in quo tamen id suadet, ne placita futuraque coniunctio vni lucrum faciat alteri detrimentum.

§. XVI.

In repudio sine fontica causa misso, **HONORII** sanctio-
nem de dote et d. p. n. a **THEODOSIO** et **VALENTINIANO** rursum confirmatam legimus in *L. 5. C. de repud.* cui id solum additum fuit, quod pars laesa quoad usum fructum tantum capere

F 3

de-

m) Proutcat saepius **IUSTINIANVS** ad hanc **LEONIS** constitutionem, eamque melius declarat in *L. 10. C. de paqt. conu.* Ex ea simul adparet, non distinxisse **LEONEM**, an d. p. n. ex ipsius mariti bonis, an a patre eius, siue a quouis extraneo pro eo oblata fuerit; aequalis enim dotis et d. p. n. conditio satis evincit, ut dorem ita et d. p. n. a quouis extraneo pro marito offerri potuisse. Ex qua tamen offerentis persona diuersum ius d. p. n. haud enascitur, cum extraneus negotia gesisse mariti merito videatur.

debeat dotem aut donationem, si liberi ex illo coniugio nati adf-
sent. Id igitur quod alias poena esset secundarum nuptiarum in
repudio regulam efficiebat; quocunque enim alio in casu omne
id quod capiebat vxor, plena proprietate possidebat, ut vendere,
consumere, et quocumque vellet modo alienare posset; quod
ipsum si a secundo choro abstinuisse, saepius confirmatum legimus
in L. 4. 5. et 6. C. de sec. nupt. Si vero a secundi coniugii stu-
dio se temperare non posset, etiam hac in periodo ponae suberat,
ut si proles adfuerit vsumfructum tantum retineret, proprietas
vero liberis cederet, quam poenam saepius repetierunt Imperato-
res magisque determinarunt THEODOSIUS ET VALENTINIA-
NVS, in L. 4. et 5. C. de sec. nupt. et LEO ET ANTHEMIUS,
in L. 6. eod. Quibus igitur constitutionibus quod priori statu
d. p. n. additum sit, iam erit recensendum. I. Eadem poenam in
dote marito iniunxerunt THEODOSIUS ET VALENTINIANVS,
si secundam vxorem duxisset, quod ante eos in L. 3. C. de sec.
nupt. quidem suaferat THEODOSIUS M., sed in legem perferre
non potuerat; CVIAC. in Expos. Nou. 22. (p. 482. edit. Fabrot.
Tom. II.) II. Iusserunt, ut d. p. n. inter bona paterna connume-
raretur, ideoque ad illos tantum liberos pertineret, qui illum pa-
trem adgnoscerent a quo d. p. n. profecta, quae sanctio praeci-
pue se excerebat, si tertia forte vice nupsisset vxor; quo in casu
d. p. n. secundi mariti liberis prioris matrimonii quoad proprieta-
tem non cedebat, sed illis ipsis qui ex secundo viro essent pronati;
qui si plane deerant, et improle fuerat matrimonium vxor etiam
proprietatem secundae d. p. n. retinebat. Optime ita THEODO-
SII sanctionem explicat avtoupatop IVSTINIANVS, in Nou. 22.
c. 29. Quamuis vero d. p. n. ad paterna bona referenda esset,
patris haereditatem repudiasse aut ab ea abstinuisse filii non no-
cebat, sed eam adhuc ex matris haereditate petere poterant, mo-
do hanc credidissent adeundam. (n) Deinde si liberis existentibus
vir

n) Oritur huc noua successionis species, in lucrum nempe nuptiale, quae in
tota d. a. n. materia maximas peperit difficultates et non rarius in errores

vir aut vxor ad secunda vota properaret, in L. 6. pr. C. de sec. nupt. sanctum est; III. ne dotis, vel d. p. n. nomine, vel alio titulo lucrativo in secundum coniugem pluris conferri posset, ac illi ex filiis reliquum esset qui minimum accepisset. Quum vero iam secundis nuptiis initis d. p. n. liberis prioris matrimonii quoad proprietatem cederet, cavendum simul erat ne his detrimentum inferri posset. Eadem igitur lege sanxit LEO, IV. vt si postea ex talibus bonis quaedam alienata essent; liberi illis praeponerentur, in quos a coniuge superstite alienatio facta fuisset, ipsaque matris bona liberis tacite obligata essent pro competente illis in d. p. n. proprietate. Quin adeo V. ipsam cautionem fideiussoriam de restituendis post mortem bonis mobilibus in d. p. n. contentis desiderare possent a matre liberi, quam si mater praestare nollet aut non posset ipsis liberis res tradi debebant, qui nunc eadem satisfactione matri cavaebant, quod matri ex rerum aestimatarum pretio tertia viriae centesimae pars (4 pro Cent) quotannis foret solutura. Denique VI.

ius

duxit interpretes. Aut enim recte videmus aut causa exhaeredandi fratres, quas nonnulli in Nov. 22. sibi inuenire peruident, ex male intellecta hac doctrina ortum cuperunt. Iam in hoc lucrum, si filius mortuus esset, post secundas patris nuptias, patri non patet successio iure peculii, prout ex L. 3. C. de bon. quae liber. probe admonuit FRANC. RAGVELLVS, libro supra laudato ad L. 3. C. de sec. nupt. sicuti etiam vno ex filiis praemortuo, ad defuncti fratres minime perueniebat pars lucri dotalis quae ad eum pertinuerat; sed in filios transmittebatur si adessent; quod dum in dubium vocaretur, sanctione sua firmauit ZENO, in L. 7. C. de sec. nupt. electionis iure inter plures nepotes suo reseruato. Id vero quod de successione monimus, in caso secundarum nuptriarum ad id lucrum tantum pertinet, quod a defunto coniuge ex d. p. n. lucraslet vxor. Monet enim idem ZENO in L. 18. C. de d. a. n. hoc non pertinere ad id quod contrario in casu prouisum esset a superstite coniuge, ideoque partem vel pluries vota nuptria reiterantem, ex d. a. n. mortuae vxori constituta liberis ex ea pronatis nihil feruandum cogi posse, sicut vxor secundo nubens ex dote a se ipso constituta nihil feruare adstringeretur; dum haec in pleno eius dominio remanebat, quod et confirmat Anthon. Pater do-

ius electionis ut ad quem ex liberis, dum proprietatem perderet, d. p. n. aut totam aut maxima tamen ex parte peruenire deberet constitutere posset mater, denuo confirmatum inuenimus **Z E N O N E** in **L. 7. C. de sec. nupt.** postquam antea hac in periodo illud ius matris iam denegatum fuerat **A L E O N E** et **M A I O R I A N O**, in **Nov. de santicomialibus**, quam etiam quoad hoc punctum confirmaverant **LEO** et **SEVERVS**, in **Non. de abrog. cap. iniust. legis D. Maior.** quamvis in ceteris pene illam sustulissent.

§. XVII.

Mutationes I V S T I N I circa statum anteriorem d. p. n.

Remansit quidem pluribus in capitibus anterior d. a. n. status etiam sub **I V S T I N O**, et vnicar tantum est huius Imperatoris circa d. p. n. constitutio in **L. 19. C. de d. a. n.**; attamen nihil osecius ita comparata, ut periodum nostrae donationis facere possit. Hactenus enim nec vnicus casus exceptus fuerat, in quo post nuptias contractas d. p. n. constituere liceret, omnis potius omnino talis donatio, eo effectu gauisura ut dotem lucraret maritus, ante nuptias perfecta esse debebat. Hanc iuris scrupulositatem *praedita* in *Lege* (o) temperauit **I V S T I N V S**, et ut constituto matrimonio dum dos forte augeretur et d. p. n. simul augeri, et nondum oblati adhuc constitui possit, permisit. Dos enim cum quidem sine matrimonio esse non posset, attamen ab eo abesse eoque contracto rite tam augeri quam constitui posset **L. vlt. C. de d. a. n.** in illo casu, quo vxor post matrimonium iam initum dotem augeret, marito etiam permittebatur, non solum ut d. p. n. antea datam tanto maiorem facere posset, quanti dos aucta constitisset, sed etiam si

(o) De tempore huius Legis non constat quia sine die et consule est. Si vero probabilitatibus indulgendum, ultimis demum sub imperii **I V S T I N I** annis ponenda est, nisi adeo paulo ante eius obitum lata sit, eo nimur tempore, quo **I V S T I N I A N U M** iam in consortium imperii adsumserat, quae conjectura inde non paruum robur accipit; quod ille hanc sanctiōnem sibi adscribat, in **L. vlt. §. 1. C. de d. a. n.**

iam si ab inicio nulla adfuerit d. p. n., eam si vellet constituere posset. (p) Iam vero cum partis dotalibus circa dotis et donationis lucrum disponere solerent coniuges, etiam, si post matrimonium donatio intercessisset licebat partibus, talia parta compondere, aut plane noua, aut adilientes aliquid veteribus, quae ab inicio de dote et donatione principaliter constituenda inita erant. In eo tamen casu, quo secundum hanc constitutionem donatio consistente matrimonio fieri posset, ne dotis auctae quantitatem excederet donatio requisiuit. Magnam huc certe monstrat solertia IVSTINV, ne anterioribus LL. quae donationes inter virum et vxorem prohibuerant aliquid detraheretur, cum permitta hoc modo augendae et constituenda donationis facultate ne speciem quidem praebere vellet, sub qua illis contraueniretur. Quid enim facilius donatione inter virum et vxorem sub simulato dotis et donationis augmento; sitantas donationes offrire licuisset quantumcuique placuerint, dote etiam uno tantum nummo, ac in venditione imaginaria aucta. Sed ad ipsam IVSTINI sanctionem redeamus. Statuit idem de deminutione dotis, ut si hanc deminuere placuisset, detrahi etiam aliquid d. p. n. posset, quam tamen vtriusque deminutionem interdistam legimus, si in secundis nuptiis coniuges versarentur et alterutri ex primo matrimonio proles supereiset. Tunc enim huius in detrimentum faciliter modo aliquid fieri potuisset, quibus machinationibus tamen ut omni quo posset modo succurreretur, iam anteriorum Imperatorum curam fuisse adparet. Minime vero quis miretur, quod hypothecas super dotis et donationis augmento a tempore auctae dotis tan-

tum

p) Temere nimis adsumit HEINECCIVS, *diff. cit.* §. 9. hanc IVSTINI sanctionem indistincte d. p. n. contracto iam matrimonio constituere permisisse, cum tamen satis ex *cit. L.* verbis pateat, aucta demum dote id licuisse. Iustinianus demum illud ita ordinavit *L. 20. eod.* quae tunc inutilis fuisset. Post nuptias igitur ante IVSTINVM nunquam d. p. n. constituere licebat, sub hoc nunquam nisi aucta dote, sub IVSTINIANO vero quandocumque id inter coniuges placuisset.

G

tum initium capere iusserit Imperator. Privilegium illud quod intuitu dotis vxor creditoribus etiam anterioribus praferenda esset, a IVSTINIANO demum introduxitum est in L. 12. C. qui pot. pign., ideoque hoc tempore quo tacita tantum sicut ceteris in bonis hypotheca gauderet vxor, temporis prioritas obseruanda erat, ita ut intuitu augmenti dotis, quamvis cum dote coaluerisset, ius securitatis tamen a tempore illati augmenti esset computandum.

Status d. p. n. Iure Iustinianeo.

I. Intuitu d. p. n. constituantae §. 18. 19.

§. XVIII.

Venimus iam ad Iustinianum eiusque circa ius d. p. n. constitutiones; nouam vero plane speciem eius sub imperio accepit. Nullum enim fere aderat iuris punctum magis incultum, ac juris incertitudo in d. p. n. per anteriorum principum sanctiones minime penitus erat sublata: Fugit vero neminem, quam sollicitus fuerit noster, in enodandis iuris laqueis, in quo mox tollens quod antea placuerat leuitatis notam quibusdam mereri videtur. Primam vero eius constitutionem inuenimus in L. 10. C. de Paet. conu. in qua, cum Leonina sanctio quam lex antecedens complectitur, aequalia quidam paeta super lucro dotis et donationis praecipisset, quaestioni tamen non obuiam iret, si inaequalia essent paeta, eum in modum illam declarauit, vt si inaequalia paeta interuenissent, ad minus vtrumque lucrum deduceretur, et igitur acciperet vterque quod minoris esset in paetione. Meminit huius a se factae declarationis in L. vlt. C. de a. n. et denuo confirmavit Nou. 22. c. 20. Noua deinde sanctio, quae in L. vlt. cit. (q)

(q) Sine die et Consule pariter est haec Lex: Lata vero videtur Decio consule post L. 10. C. de P. C. cuius iam meminit, anterior vero esse L. 34. C. de don. cuius sine dubio, dum de insinuatione donationum loquitur mentionem fecisset, si haec iam extitisset. IVSTINIANVM enim vbiunque occasio fert, constitutiones suas allegare consuevit, lippis et tonsoribus notum est.

extat et nomen quod hucusque habuerat d. p. n. immutauit, et ut
quocunque tempore matrimonio iam contracto (etiamsi dos non
augeretur, quo casu hucusque tantum licuerat,) constitui posset per-
misit. Quo minus enim hoc in posterum dubio subfet, nomen
donationis ante nuptias in *proprietate nuptias* transformari voluit, quia
eius ratio non in eo quod ante nuptias fieret, sed ipsis in nuptiis
esset querenda. Dum vero ita post nuptias donatio constituere-
tur, aequalitatem oblationum pariter ac **IUSTINVS** antea fece-
rat iussit; ne igitur dote maior minorue posset offerri d. p. n.,
id quod deinde vniuersaliter etiam in donationibus, ante nuptias
oblatis, seruandum constituit *Nou. 97. c. I.* Quum enim per
d. p. n. contraria dos vxori praefstaretur, et ex ea contrario in
casu lucrum quod ex dote maritus sibi pepigerat ab uxore percipe-
retur, aequis passibus vtraque ambulare debebat; qua in re Leo-
nina sanctio quam ibidem confirmatam legimus iam num luca ex
asse aequalia efficiebat, dote et donatione eodem numero con-
stente. Quoad personam constituentis, a nemine in dubium vo-
catum iri credimus, etiam hac periodo extraheo licuisse d. p. n.
pro marito offerre. Patres enim, sicut filias dotare obligati erant,
ita pariter pro filiis d. p. n. debebant offerre, quod officium ne-
cessitatis esse recte admonuit **FRANC. RAGVELLVS**, ad *I. vlt.*
C. de dot. prom. libro supra iam aliquoties laudato. Si igitur do-
nationis constitutio simpliciter facta est, pater ex propriis illam ob-
tulisse videtur, licet filio peculium aduentitium sit, facultates i-
psiis patris longe superans. Nisi id agere velit pater, addere de-
buit, se pro filio non ex propriis facultatibus donationem facere,
sed ex bonis filii eam subministrare. Quum superea dubitatio orta
esset, rem ita decidit **IUSTINIANVS**, in *vna ex L. decisionibus (r)*

G 2

quae

* Omnia requisita habet haec lex, quibus L. decisiones prae ceteris sese distin-
guunt. Lata est sub consulatu *Lampadii et Orefsis*, ideoque ad *A. C. 530*.
referenda, quo tempore Digesta exarata fuisse inter omnes confit: De-
inde data est ad *Ioanem P. P.* simulque juris veteris dubitationem resolu-
uit. Ipse pater, si tam ex suis rebus quam filio debitis constituturum se

quae est in *L. vlt. C. de dot. prom.* Finito autem matrimonio, patria potestate nondum soluta, pater non solum donationem pro filio constitutam ad se reuocabat, sed etiam in id quod vi donationis ex dote lucrasset filius vsufructu gaudebat, cum ipsum hoc lucrum ad peculum aduentitium pertineat, *L. 6. C. de bon. lib.* Alter vero dicendum, si extraneus pro marito constituisse donationem. Sicuti enim hic dotis repetendae iure non gauderet, nisi id sibi reseruasset, aequaliter d. p. n. pro marito datam repetere non poterat, nisi id in ipsa constitutione adiectum; Ita etiam lucrum ex dote non iis, ex quorum bonis profecta erat donation, sed ipso marito acquirebatur; reseruare tamen sibi pacto id potuisse donatorem, ut eueniente casu lucrum dotis non ad maritum sed ad ipsum transiret, optime euicit **RAGVELVS**, *I. c. ad L. vlt. §. 1. C. de iure dot.*

§. XIX.

Quum igitur post *L. 20. C. de d. a. n.* dubium non amplius esset, quin d. p. n. non minus ac dos matrimonio iam contracto constitui posset; insinuationem eius post nuptias, licet ante eas oblatae, celebrari potuisse, idque simul permisisse Imperatorem facile quiuis concedet. Restrinxit etiam vti in ceteris donationibus, ita et in d. p. n. veterum *LL.* intuitu insinuationis rigorem, et infra trecentos solidos factam donationem valere iessit sine insinuatione, in *L. 34. C. de don.*, mox vero illam summam ad quingentos usque extendit in *L. 36. C. eod.* Omnem adeo insinuationis

donationem dixisset, nihil feci nisi summa egestate laboraret, ex suis bonis contulisse eam, hac ipsa lege decidit **IVSTINIANVS**, quae singularis et fatis mirabilis videtur **CHRISTIANAEO**, vol. III. dec. 132. nr. 24. et **RAGVELLO** ad h. l. qui igitur usum *Nov. 21. Leonis* aperto iure intentem adprobat. Merito autem **IVSTINIANVM** in adprobanda hac **PAPINIANI** sententia (*L. 5. §. 12. de iur. don.*) ab hoc vituperio liberavit **CL. GODOFR. MASCOV**, in *diff. electa dotal. §. 8. in opus. ex edit. Püttemanni pag. 223.*

nis necessitatem d. p. n. remisit, etiam si 500. solidis maiores essent, idque effecit *Nou. 119. c. 1.*, quia ab alio magis negotio participare dixit d. p. n., quam quae donationum simplicium numero censri posset. (x) Rursus tamen hoc *Nou. 127. c. 2.* immutauit, secundum quam iterum insinuationem d. p. n. 500 solidis excedentis praecepit; ita tamen ut ex illius omissione omne detrimentum caderet in maritos, vxoribus tamen minime noceret. Omissa enim d. p. n. insinuatione ex dote nullum capere poterat lucrum maritus, licet casus lucri euenisset; vxori vero contrario casu fauorem eius aperiante, lucrum donationis haud denegabatur. Eo magis necessariae videbantur hae de donationis insinuatione sanctiones, quo magis in tota d. p. n. materia vbius elucet maritorum calliditas, qui quidem illatam ab vxore dotem veulent lucrare, ipsi vero nil ex suis bonis conferre. Dum igitur insinuationem omitterent, facilius decipiebant vxores; donec **IUSTINIANVS** insinuationem primum omnem remisisset, mutato vero deinde consilio, omissionem eius non quidem mulieribus in lucranda donatione, maritis tamen in dote lucranda nocere constituisse. (t) Quo minus vero a

G 3

parte

- §) Specialem ideo vocat contractum Imperator, ea potissimum ratione ductus, quod non ille donandi animus adest in hac donatione, quae propter dotem lucrandam offeretur. Quo facto eo minus necessaria videbatur insinatio, quo magis per eam nimiae liberalitatis studium compesceretur et impediretur, quo minus persuasionibus et subdolis machinationibus ad donandum compellarentur donatores, de quorum sincera voluntate constare non posset, quam rationem profert **I. H. BOEHMERVS**, *innot.* (l) ad §. 2. *I. de don.*
- ¶) Non ideo omni ratione destitutum est consilium **GODOFR. MASCOVIT**, *diff. cit. §. 26.*, qui paclorum nupcialium insinuationem, etiam si in iis donatione D. solidis minor contineretur, maritis commendauit, quia optime ita fraudis suspicionem a se auertere possent. Quomodo autem secundum monetam apud nos valentem ille solidorum numerus computari debeat, plures adfunt **VV. Cl. Cl.** sententiae: sufficiet adduxisse eam quae communiter fertur, solidum pro aureo Vngarico accipiendum, ita ut donatio ultra 1250. Ioachimicos progrediens insinuatione indigeat teste **SCHIL-**

parte etiam mulieris dolus locum sibi vindicaret, quae aliquando dotalibus instrumentis dotem conscribebat, de ea autem inferenda minime cogitarent, obicem illis posuerat *Nou.* 2. c. 5., in qua sanxerat; ut nisi culpa apud maritum stetisset, quo minus dos revera illata esset, vxor ex donatione nihil lucraret, et in tantum de d. p. n. lucro aliquid acciperet, in quantum dos data fuisset. Si enim per maritum aut partem eius (i.e. parentes in quorum potestate erat) factum esset, quo minus dos non soluta fuerit, ea propter d. p. n. iniuste quasi dote non illata declinari edicit Imperator, *Nou.* 91. c. 2. Quibus ex LL. simul luce meridiana clarius adparet necessitas donationis constituendae, si maritus dotem vellet lucrare, dotis vero inferendae, si vxor ex donatione aliquid lucri speraret.

II. Intuitu effectuum §. 20 - 22.

§. XX.


quales fuerint secundis nuptiis non secutis.

Iam de effectibus d. p. n. rite constitutae videamus, quos in lucro conditionali constitisse satis de hoc aeuo convincit *Nou.* 61. in pr. c. 1. in qua his verbis vtitur Imperator „eueniente forfitan lucro quod ei confert antenuptialis donatio, “quae satis illarum effectum produnt. Circa hos d. a. n. effectus, mutationes Iustiniani in considerationem nunc venient. Aliud vero ius d. p. n. fuisse secundis nuptiis secutis, aliud vero si illae initae non fuerint, iam

TERO, exere. 47. §. 40. In hac decidenda quaestione simul non tam ad valorem monerae intrinsecum, quam ad copiam eius, quae valorem extrinsecum efficit, respiciendum esse, nemo facile negabit; ideoque anxiae disquisitione super illius quantitatis aestimatione supersedemus, cum etiam haec sparta nobis iam praecoccupata sit ab HEINECIO, diff. cit. c. I. §. 17. not. *) quem exscribere non vacat. Qui plenius de solidorum aestimatione informari cupiunt, adeant IO. FRID. GRONOVIVM, de festoriis et pec. ver. Lib. 3. c. 6., IVST. LIPSIVM in statu de pec. ver. pap. Rom. et ALEX. SARDVM in libro de nummis (in Clau- singii Iur. publ. Rom. Fas. I.) qui huius monetae valorem fusius expenderunt.

ex anterioribus patet. Illis non fecutis, d. p. n., aut totam aut pro parte, prouti pastrorum euentus id constituerat, in lucrum vxoris cessisse vidimus, vt igitur hoc modo id compensaretur, (v) quod contrario in casu maritus ex dote habiturus fuisset. Quamvis hunc quidem effectum non plane sustulerit **IVSTINIANVS**, attamen in modo illud lucrum habendi non minus sese exserunt eius mutationes ac in ipsa d. p. n. constitutione. Ante eum, excepto tantum repudii casu, in quo nil nisi vsumfructum habuisse vxorem notaimus, lucrum d. p. n. vxori tam quoad proprietatem quam quoad vsumfructum tribuendum erat, ita vt pro lubitu consumere vendere et quoconque modo alienare posset: Hac libera disponendi facultate vxorem secundae tantum nuptiae exuere potuerant, quibus initis d. p. n. tantum vsumfructum retinebat: **IVSTINIANVS** autem secundis etiam nuptiis minime fecutis, si liberi ex matrimonio adessent, his proprietatem lucri nuptialis seruari iussit *Nou. 98. c. I.*, ita vt vsumfructum eius tantum retineret vxor, quo facto quod haec tenus poena secundarum nuptiarum fuerat, in regulam conuertebatur. Rursus tamen *Nou. 127. c. 3.* hanc sanctionem immutauit in fauorem illarum vxorum quae a secundis nuptiis abstinerent, vt in proprietatem huius lucri ex d. p. n. percipiendi una cum filiis et quidem in portionem virilem vocarentur. Quum vero haec de proprietate d. p. n. sanctiones valere tantum possent, si liberi defuncto adessent, illis deficientibus aliter dicendum etiam esse, iam patet. Quo igitur in casu antiquum ius vigorem retinuisse certum est, ita vt superstitibus defuncto parentibus, dimidia d. p. n. vxori tantum cesserit secundum *Nou. Valentinianni*, quam vtpote nullibi antiquatam Iustinianeo aeuo adhuc

v) Compensari ideo merito diximus dotis lucrum per d. p. n. quia postquam necessitas eius introducta est si aliter dotis lucro gaudere velit maritus, debitum in marito esse incipit neque amplius pro remuneratione accipi potest, vriante necessitatem introducam, quia haec a libera pender facultate donatoris, tam quoad ipsum aetum donationis quam etiam quoad quantitatem, quod vtrunque nostra in donatione non amplius meri est arbitrii,



adhuc viguisse nullum dubium est, quum casus talis quo dimidiam ex d.a. n. lucrauerit, ipse meminiscat **I V S T I N I A N V S**, *Nou.* 97. c. 5. et quo magis in hac materia per *Nou.* 98. c. 1. confirmauerit veteres sanctiones nondum abrogatas. Parentibus igitur non existentibus totam d. p. n. in lucrum vxoris cesisse, id eo magis suadet, quod in casibus non exceptis per ipsam exceptionem regula magis firmetur. **LEO** vero **P H I L O S O P H V S** in *Nou.* 20. **Leon.** plane aliud innuere videtur, quam vt liberis non existentibus patrisque pariter deficientibus, vterque coniugum tempore Iustiniani receperit oblationes suas, uti **P V F E N D O R F I O** adparuit et primo quidem intuitu videtur. (x) Effectus potius d. p. n. post has Iustiniani sanctiones in eo casu erat, vt vxor totam d. p. n. acciperet et quidem pleno proprietatis iure; quum tunc tantum usumfructum retineret, si liberi ex matrimonio supererent, quod igitur in hunc casum aequem minus cadere potest, ac poenae quibus intuitu secundarum nuptiarum vxores nostra in donatione subiecit **I V S T I N I A N V S**; circa quas mutationes eius iam explicandae sunt.

Qua-

x) Dicit vero **LEO**, „*ad verumque sua ex aequo reuertentur*“ quae verba statim illi qui perpendit, ad mortuum sua reuerti non posse, plane aliud indigare videbuntur. Adparet potius in *Nou. cit.* de aequalitate d.p.n. cum dote, a **I V S T I N I A N O** introducta sermonem esse, secundum quam lucra dotalia semper aequalia esse debebant, etiam nullis initis pacifici; non vero id exprimi, vt liberis deficientibus nullisque pacifici interpositis d. p. n. ad maritum reuersa fuissent; hic enim iam e viuis exceperat. Mallemus vt textus Novellarum Leonis Graecus a *Stringero* editus ad manus esset, tunc certe melius nodum soluere possemus. Interpretationem vero nostram innumeris alii loci suadent, ex illius seculi dicendi modo desumti, vbi vox *ex aequo* nihil significat nisi vt aequalitas obseruetur, et unus non maiorem partem accipiat altero. Ita etiam in *Nou. Scueri ad §. 16. citata*, bona nuptialis liberis eiusdem matrimonii ex aequo communia esse dicuntur. Eodem in significatu vox *ex aequo* usurpatur *Nou.* 22. c. 22. §. 1. etc. 25. vt nulli amplius dubitemus, **LEONI** id tantum venire, vt casu eueniente aequale lucrum ad utrumque coniugem superstitem perueniret, neque forte maritus dotem donatione multo minorem accipere posset, vxor vero lucrum multo maius. Eam fuisse **LEONIS** mentem satis confirmat finis constitutionis, in qua id vnu reuocat quod intuitu lucri sub Iustiniano valuerat.

Quales effectus habuerint in d. p. n. secundae nuptiae. §. 21. 22.

§. XXI.

Supra iam vidi mus, secundas nuptias intuitu nubentis eum habuisse effectum, ut sicuti omnium bonorum, quae a defuncto marito acceperat, proprietatem liberis existentibus amitteret, ita etiam d. p. n. quoad vsumfructum tantum retinuerit mater, proprietate liberis seruata. Nullis vero liberis extantibus nullas secundarum nuptiarum poenas fuisse optime monet RITTERSHV-
SIVS, expos. meth. Nou. P. IV. c. 4. nr. I. Semper enim veriti sunt Imperatores, ne per secundas nuptias prioris thori liberis detrimentum inferretur, et propter odium, quo plerumque in priuignos ferri solent vitrici, damno adficerentur, ut omnem facultatem parentum coercuerint qua id effici posset. Ideoque etiam quamvis constante matrimonio dos augeri minique posset, secundis nuptiis tamen initis id fieri prohibuit IVSTINIANVS, Nou. 22. c. 31. Restrinxit quidem c. 22. eiusdem Nouellae poenam secundo nubentium, et testamento coniugi superstiti remitti posse permisit, ab ea tamen penitus tollenda longe alienus fuit, dum potius THEODOSII IVN. et LEONIS sanctiones, quae in L. 5. et 6. C. de fec. nupt. extant, suis in constitutionibus saepius confirmauerit atque non raro exacerbauerit. Quae leges quia omnibus quaectionibus non obuiam irent, circa id quod de lucro dotali post secundas nuptias dicendum esset saepius occupatus fuit, de quo satis testantur L. 9. et 10. C. de fec. nupt. vt et Nou. 2. et 22. Ita etiam in Nou. 39. c. 2. illam poenam confirmauit, vt non quo ad proprietatem solum sed etiam quoad vsumfructum d. p. n. ca- deret vxor, si intra tempus luctus nupsisset; quam poenam ad eum etiam casum extendit, si se ab alio impregnari passa fuisset. Quum igitur secundum Leoninam sancti onem, si omnes filii praemortui essent, vxor proprietatem rursus adquireret d. p. n. per secundas nuptias amissae, hoc iam corrigendum videbatur Imperatori. Proinde in constitutione quadam id ita immutauit, vt in hoc casu, nisi

H

filio-

filiorum haeres extitisset mater, non amplius acciperet ac sibi pacto de non existentibus liberis prospexitset, quam vero sanctionem posterior aetas parum obseruasse videtur, vsque dum eam iterum confirmauerit IUSTINIANVS, Nou. 68. c. 1. qua in praeteritis casibus Leoninae sanctioni autoritatem saluam iussit, in futuris vero suam constitutionem (y) roborauit. Eadem de acquisitione proprietatis in d. p. n. principia postquam Nou. 98. et 127. vxori in ea proprietas tantum non omnis erepta est, omni fere in casu quo liberi extant adplicandam esse morte horum secuta egregie monet CVIACIVS, ad Nou. 68. quippe cum non amplius ad poemam secundarum nuptiarum referri possit, vt d. p. n. proprietas liberis defuncti seruetur. Quum vero ante perlata Nou. 98. saepius accideret, vt res quasdam ad d. p. n. pertinentes alienarent matres, tales alienationes per secundas nuptias infirmari postea debuisse nemo non videt. Qua propter circa has alienationes quid iuris esse debeat statuendum erat. Primum igitur IUSTINIANVS Nou. 2. c. 2. proposuit, vt quidem si nuptiae iterarentur, alienatio talium rerum eo ipso irrita fieret, attamen non ita, quin nullo modo conualefcere posset. Potius in Nou. cit. et Nou. 22. c. 26. rem ita disposuit, vt vel tota conualefcere posset, si omnes liberi praemortui essent, vel tota irrita manere, si ante liberos vita fungeretur mater, vel denique pro parte subfisteret secundum pactum nimirum filiorum non existentium, si quidam ex filiis obiiffent certi vero superstites remansissent. Optime ita hoc Nouellae caput explicauit CVIACIVS, in expos. ad Nou. 22. (p. 482 edit. Fabr. T. II). Hoc igitur in casu si forte pactum orbitatis omnisiuum esset, in totum irritam fuisse alienationem adparet. Ceterum postquam per Nou. 98. c. 1. proprietas d. p. n. statim ad liberos transeat, hanc sanctionem inutilem temporibus posterioribus redditam fuisse, fa
Constitutio ipsa quia Graeco idiomate confecta, non extat in Codice repetitiae preelectionis, sed opera CVIACII eius epironem restitutam inuenimus in L. n. C. de sec. nupt. Ipse huius legis meminit IUSTINIANVS, Nou. 2. c. 2. et Nou. 22. c. 26.

Cile quiuis concedet, qui perpendit ab initio alienationem constare non amplius posse. Licet vero secundis nuptiis initis vxor proprietate d. p. n. caderet, haec tamen illo iure gaufa erat, vt ex pluribus liberis vni illam totam aut tamen quoad maximam partem tribuere posset, id quod ius electionis appellatum inuenimus. Hoc etiam iure eas spoliauit **IUSTINIANVS**, in *Nou. 2.* c. 1. et proprietatem lucri ad omnes filios aequaliter peruenire iussit, quam etiam sanctionem rursus confirmauit *Nou. 22. c. 25.* ingratitudinis tamen iure matri seruato contra filios, secundum quod, illi qui ingrati aduersus matrem (fratresque ipsos⁽²⁾) si post eorum mortem ante obitum matris contingentem de successione in proprietatem lucri quaestio oriretur,) fuerant, ab hac proprietate excluderentur. Supra enim iam notauius, nouam speciem successionis oriri in lucrum nuptiale post secundas nuptias. Quamvis enim id ipsum a matre possideretur, tamen inter paterna bona connumeratum fuisse, neque minus repudiata haereditate paterna, ex matris successione peti potuisse, vidimus. Hoc **IUSTINIANVS** *L. 8. §. 3. C. de sec. nupt. ita restrinxit*, vt fieri non posset, si aliqui ex filiis haereditatem paternam vel maternam adiissent, ce-

H 2. audier teri

- 2) Haec ipsa exclusio a proprietate lucri est, quae opinioni ansam dedit, quod certae causae exhaeredandi fratres *Nou. 22. c. 47.* prodantur. Qui enim caput praecedens Nouellae attenter perlegerit, statim conuenier, non esse sermonem neque de testamento, neque de exclusione ab haereditate fratris, sed tantum de proprietate lucri d. p. n. Antea pro lubitu mater ab ea proprietate excludere filios potuerat; electionis vero iure sublato id non amplius licebat, sed ingratum aduersus matrem fuisse requirebatur. Dum vero post mortem vnius fratris successio simul in lucrum nuptiale quoad proprietatem aperiretur, ad quam matrem non vocatam esse ex anterioribus patet, si fratres superessent; Imperator etiam respiciendum esse ad ingratitudinem erga ipsum fratrem defunctum iubet; ideoque causas definit, propter quas mater, defuncto filio, (dum proprietas lucri quod ei quoad usumfructum competit, ad defuncti fratres perueniret,) aliquem a portione in ipsum cadente excludere illamque ceteris attribuere posset, ea ex ratione, quia ingratitudinis causas vel erga matrem vel ipsum fratrem defunctum praebusset.

teri non, quod tamen rursus antiquauit *Nou. 22. c. 26.* postquam statim post secundas nuptias eo ipso proprietatem lucri aequaliter liberis cedere constituisset.

S. XXII.

Quum igitur secundis nuptiis initis iam pridem propter ysumfructum matri competentem cautionem fieri debuisse, supra etiam vidimus; videndum nunc est, quid circa hanc noui IVSTINIANO debeatur. Et non minus ac in ceteris sanctionibus suis circa hanc cautionem fuit occupatus. Quum enim ex *L. 7. C. de fec. nupt. vxori electio competenteret*, an ipsam possessionem si res mobiles essent arripere vellet, satisfactione de iis restituendis praefixa, an vero tertiam usurae centesimae partem ex illarum aestimatione soluendam a liberis accipere; hoc vero modo minores praecipue filii saepius periculo exponerentur, dum omnia paterna vendere coacti essent, vt rerum donatarum possessionem, si forte in pecunia consisteret d. p. n. matri praestarent: id iam corrigendum merito videbatur Imperatori. Constatuit igitur *Nou. 2. c. 4.*, vt si in immobilibus rebus consisteret donatio, tunc rerum possessione matri semper praestaretur, vt ipsa ysum ex illis percipere et boni patris familias diligentiam circa illas praestare deberet. Si vero in rebus immobilibus consisteret, eligendi iure tunc demum gauderet, si tales res etiam in substantia viri inuenirentur, quales in d. p. n. essent conscriptae; re pro hac distinctione etiam decidenda, si permixtae res essent, partim in immobilibus pro parte in immobilibus rebus d. p. n. consistente. Si igitur aurum, argentum et vestis in substantia mariti inueniretur, tunc possessionem petere poterat mater, si cautionem fideiussoribus praestare vellet de reddendis his rebus, aut filiis ipsis, aut eorum haeredibus, deducto eo quod in casum orbitatis sibi vindicare ex pacto posset, si omnes filii ante eam vita essent functi. Si vero hoc nolle, cautionem a liberis exigere poterat, quod illi ex aestimatione harum rerum quotannis usurae tri-

entes

entes soluenda esse. Rursus ita rem confirmauit Imperator in *Nou.* 22. c. 45. Non in secundis nuptiis solum, sed etiam post *Nou.* 98. has sanctiones fere semper vsum sibi vindicasse, ex quo proprietas ad liberos pertineret, nemo negabit, qui huius sanctionis rationem perspectam habet; cum antea secundis nuptiis nondum secutis et proprietas et v夫usfructus penes matrem remaneret.

§. XXIII.

Priuilegia in d. p. n. obuerfantia.

Prope iam peruentum est ad finem capit is, nisi quaedam adhuc sanctiones adeflent non praetermittendae, quarum aetas in haec tempora cadit. Continent vero priuilegia, qualia d. p. n. competeret statim dixeris, quia dotis cauilla flunt, quarum semper magnus fuit Romanis fauor, *L. 2. D. de iure dot.* Quum vero in donatione nostra de lucro magis certare viderentur vxores, ac in dote; *IVSTINIANVS* hypothecam tacitam quidem illis in bona mariti concessit, *L. 12. §. vlt. C. qui pot. pign.*, non tamen in petenda donatione creditoribus omnibus praferendam esse censuit, vt in dote fecerat, sed secundum temporis ordinem venire iussit, quodidem postea repetiit *Nou. 97. in f. c. 3.*, et *Nou. 109. c. 1.* Alio vero modo ante hanc legem vxoribus iam consuluerat *L. 29. C. de iur. dot.* Quum enim constante matrimonio a marito ad inopiam vergenti dотem repetere iure etiam *D. liceret vxori*, *L. 24. D. sol. matr.* hoc non solum dicta in lege confirmauit, sed etiam ad d. p. n. extendit, aeque ac si casus accidisset vxori aperiens lucrum. Quo factо omnem sibi tribuat culpam vxori si lucro cadit, beneficio non v夫ra. Natura autem dotis hoc in casu flagitabat sanctiōnem, vt vxor nunc oneribus matrimonii prospiceret, et ex dote et donatione maritum familiamque alere iuberetur; in quo suae notionis praesidium quaerit *HEINECCIVS* supra §. 9. refutatus. Concurru creditorum existente hoc priuilegium aliter ab vxore exerceri

H 3 potu-



potuisse, valde dubitamus, nisi quatenus inde nullum praetudicium inferretur creditoribus fortiori iure gaudentibus. (a) Satis enim alibi adparet, hoc minime agere voluisse Imperatorem, dum potius semper prospexit, ne creditores fraudibus vxorum damno adficerentur, ideoque in *Nou.* 97. c. 2. ne in augmento dotis quidem ei ius praelationis concessit, sed a tempore illius illati hypothecam computari iussit. Securitati d. p. n. id adhuc addidit **IUSTINIANVS**, *Nou.* 61. c. 1. vt plane marito defendaret alienationem et oppignorationem rerum immobilium in d. p. n. conscriptarum, ex qua, licet ipsa vxor consenserit aut oppignorationi subscripserit praetudicium nullum oriri iussit. Ipsum enim hoc factum cum intercessione aequiparauerit, mulieri nocere non potuisse facile concedet, qui per **SC**tum Velleianum intercessiones feminis maxime pro maritis interdictas esse perpendit. Sane ne repetitam quidem post biennium voluntatem, quo casu etiam pro maritis ex intercessione obligari vxores per *L.* 22. *C. ad SCt. Vellei*. hoc tempore certum erat, effectus habere iussit Imperator, nisi quatenus vltiora bona adefessi marito, quibus deficientibus nihil egisse videbatur vxor. Quamuis igitur respectu vxoris nulla sit talis alienatio aut oppignoratio, tamen maritus creditoribus suis hoc priuilegium opponere non valet. Post *Nou.* 134. c. 7. vero, per quam omnis omnino intercessio pro marito nullius est effectus licet pluries repetita; si alii etiam facultatibus gaudeat maritus consensum repetitum vxori nocere negamus, quamuis aliud videatur **CIVIACIO**, in *expos.* *Nou.* 61. et cum eo **CONR. RITERSHVSIO**, in *expos.* *meth.* *Nou.* *P. V.* c. 9. nr. 10. eo potissimum

(a) Satis favorable vxoribus hoc erat priuilegium, per quod pendente adhuc donationis conditione sibi prospicere possent in peiora ruentibus maritis. Ipso concursu formaliter existente proderat, cum in debito conditionato, cuius dies nondum venerat, creditoribus posterioribus anteponeretur vxor; quamvis prioribus anteferi hoc modo non posset. Nedum eo tempore extabat *L.* 12. *C. qui pot. pign.* tribus quippe annis *L.* 29. posterior; quo perpenso utilitas huius priuilegii in ea periodo adhuc magis patescit, quamvis non plane inutile factum sit per posteriorem Legem.

fimum ex argumento, quod non adsit intercessio. Quamquam vero omnino haec deficit; consensus tamen qui hic ponitur ab ea non multum differt, illumque ut speciem intercessionis aestimari voluit Imperator. Quo facto lex posterior de intercessionibus etiam hic in considerationem venire debet, quo magis fauisse vxoribus in *Nou. 61.* adpareat **IUSTINIANVM**, illas ne ex repetito quidem consenu absolute obligari volentem. Aliud adhuc est priuilegium d. p. n. indulsum *Nou. 39. c. 1.*, secundum quam fortiori aliquando hypotheca gaudet d. p. n. prae bonis fideicommissariis, si pater fuit qui iniunxit eorum restitutionem post filii mortem faciendam. Eo enim in casu, si legitima portio minus sufficiens fuerit ad d. p. n. constituendam, et maritus ex bonis fidei suae commissis donationem conscripsisset; restitutionis onus cessare iussit **IUSTINIANVS** quoad ipsam donationem, idque iterum adprobauit *Nou. 108. c. 1.* Rationem sanctionis ipse prodit, quod ea quae communiter omnibus prosunt, iis quae specialiter tantum quibusdam utilitatem afferunt, praeponenda sint. Quum vero haeres facile tota haereditate fraudari posset, nisi dolo hac in constitutione obex poneretur, ad augmentum dotis et d. p. n. trahi vetuit hoc priuilegium, cum tempore *Nou. 39.* nondum introducta dotis et d. d. p. n. aequitate perfecta, occasio dolii deesse non posset, dote vel minimi tantum aucta.

§. XXIV.

de dominio vxoris in d. p. n. et actionibus ad eam persequendam.

Supereft, vt paucis exagitatam illam quaestionem tangamus, qua super dominio vxoris in d. p. n. disputatur, ad quam praepositis iis, quae supra deduximus, facili modo respondendum est. Pendente enim matrimonio, cum lucrum donationis simul pendere debeat, facile quis concedet, dominium vxori tribui non posse. Optime igitur **RITTERSHYSIVS** *l. c. P. V.*

c. 9.



c. 9. nr. 7. non statim dari dicit d. p. n., sed tantum in caussam donationis assignari et conscribi dotalibus instrumentis. Fuisse, qui nostris etiam temporibus statim post nupias dominium transferri censuerint, eo minus mirari debemus, cum iam **LEONI PHILOSOPHO** in *Nou.* 20. **L.** explodenda atque refutanda fuerit talis sententia. Finito vero matrimonio tali ratione qua lucrum donationis vxori aperiri vidimus, post *Nou.* 98. distinctione res exaurienda est: vel enim adsunt liberi, vel minus; Si posterius, plena proprietate gaudet, qua exui tantum potest, si intra annum luctus denuo nubit aut in poenam *Nou.* 39. c. vlt. cadit. Existentibus vero liberis nil ei competit nisi viusfructus, excepta portione virili in *Nou.* 127. a secundis nuptiis abstinentibus indulta. Quo facto paucis verbis totam item de domino d. p. n. ita late patientem decidimus, in qua plerosque vero falsae deceperunt de d. p. n. notiones. Statim vero ex nostra tractatione adparet, plures actiones in persequenda d. p. n. vxori competere debere. *Actione confessoria* agere potest, si lucrum quoad viusfructum tantum cedit; et si constante matrimonio ad eam simul cum dote restituendam agit, ad id ei *conditio* inferuit ex *Lege* nimirum 29. *C. de iure dot.* Finito vero matrimonio *actio ex stipulatu* ei quounque in casu utilis est, et pluribus casibus obuenisse docet **THEOPHILVS**, *Paraphr. ad* §. 29. *I. de act.* cum huic donationi pactum super dote inesse iam supra docuerimus, et omnia iura quae a dote pendent actione ex stipulatu persequi iussit **IVSTINIANVS**, *L. vn. C. de R. V. A.* veterem actionem rei vxoriae tollens. Deinde etiam *actione hypothecaria* gaudet vxor, propter hypothecam tacitam **LL.** illi indultam, quae tunc imprimis ei fauet, si inter mariti creditores dotem et d. p. n. sibi deposita. Potest aliquando etiam ipsa *actione ex dominio oriunda* experiri, quae ante Iustinianum aeuum unica fere erat, quam etiam ut instituere posset, traditio rei donatae desiderabatur; usque dum **THEODOSIUS IVN.** hoc aliter determinaret *L. 8. C. Th. de spons.* Ideo etiam **IVSTINIANS**, in *Nou.* 61. laudat iudices, qui actionem in rem tribuerint

buerint vxori, sub qua rei vindicationem intelligi contextus euincit. *Publicianam* pariter patuisse, si in possessione vsucapiendi post lucrum cedens fuerit, iam dubio vacat. Quum vero ad utramque actionem tam *rei vindicationem*, quam *Publicianam* instituendam plurima concurrant, quae caussam actoris minus favorablem reddunt, consultius aget vxor, si conditione ex L. 35. C. de donat. agat. Ad proprietatem enim probandam tam rei traditio, (cum rerum dominia nuda voluntate non transferri apertius sit,) requiritur, quam etiam ius auctoris in probationem venit. Minime vero id *IVSTINIANVS* in L. 35. cit. effecit, ut dominium transeat in donatarium sine traditione, sed id tantum cauit, ne donatio amplius nudis partis annumeraretur. Quo facto etiam in donatione nostra, traditione non subsecuta, vxorem minime dominii iure cum effectu agere posse satis constat.

§. XXV.

Conclusio.

Sistimus hic pedem, et orationi finem imponentes differentiationis vela contrahamus. Copiosiores esse quidem potuissimus, attamen breuitati consulere interdum vacat, satis contenti si iuuenilis hic noster labor non omnino cum indignatione excipiatur. Interim B. L. vale! et quae tractanda supersunt, nisi plane haec displicerint, a nobis alio tempore exspecta.

T A N T V M .

Sphalmata quae curam correctoris effugerunt.

- | | |
|---|--|
| p. 5. l. 3. PVFENDOR flege de PV- | p. 17. l. 6. restrixit l. restrinxit |
| FENDORE | p. 18. l. 29. et p. 30. l. 8. <i>Theſ. Meem.</i> |
| — 32. tibi — fibi | l. <i>Iurisp. Rom. et Atric.</i> |
| p. 6. -23. <i>Glossatorum I. Glossatorum,</i> | p. 20. l. 1. <i>de a. n. l. de d. a. n.</i> |
| p. 7. -34. <i>Diff. cir. §. - Diff. cir. §. 5.</i> | p. 44. l. 2. <i>eam lege tam.</i> |
| p. 8. -22. <i>Oſſ. 5. Lib. 4. - Oſſ. 4. Lib. 5.</i> | p. 50. l. 25. <i>de a. n. l. de d. a. n.</i> |
| p. 10. -19. <i>coſſerent - conſerent</i> | p. 52. l. 5. <i>bon lib. l. bon que lib.</i> |
| — 13. conditionem l. venditionem | — 27. <i>Christianaeo l. Christianao</i> |
| p. 11. l. 31. memoratur - memoratur; | p. 60. l. 12. <i>de no l. de is</i> |
| p. 14. l. 30. compite fines l. compito fines | p. 61. l. 18. <i>praeferendam l. praeſe-</i> |
| p. 16. l. 27. <i>de ſec. nupt. l. de d. a. n.</i> | <i>rendas</i> |

Cetera B. L. pro sua benevolentia emendare velit.

I

VIRO



V I R O

PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO
SVMMORVM IN IVRISPRVDENTIA HONORVM
C A N D I D A T O D I G N I S S I M O
D. LVDOVICVS GODOFREDVS MADIHN

IVR. PROF. PVBL. EXTR. ET FAC. IVR. ASS.

Quod mihi tam felici esse liceat, ad TVAM, VIR GENEROSISSIME, accedere dissertationem, qua elegantiores post fata REINHOLDI HOFFMANNORVM que vix nostra vidit Alma Viadrina, non solum maxime laetor, sed et insigni mihi duco honori, ratus non parum gloriae in me ipsum esse redundaturum. Quo rarius enim eorum, qui ad summos in iurisscientia honores adipiscere possunt esse solet numerus, eo magis gloriosum est, hanc quam TV incedis viam, spinosam arduamque ingredi. Deferbuit nostra aetate non satis laudandus mos maiorum in arenam disputationarum prodire difcessumque ab Academia publica dissertatione celebrare, multo minus autem molestus nostra aetate candidatorum numerus est, de quo questus est I.O.S. FINESTRAS apud GREGORIVM MATANSIVM*) quum iam pauci, qui sibi Doctores videntur rem hancce arduam suscipere audent. Arduum dico negotium, si, ita vt a TE agitur, luculentissimum omnique exceptione maius publicumque testimonium de solida aquisita eruditione continet, si proprio Marte, nullo adiutore, tam eleganti, tamque profunde conscripta dissertatione res noua exponitur, si denique bona caussa nullo assidente contra quorūcunque oppositiones tam masculine et tam fortiter defenditur. Erubescant TVO exemplo, qui dum ipsi huic negotio non sufficiunt totum vituperare et ab abusu excusationem imbecillitatis desumere student. Quotiescumque TE considero, gaudeo me hercle, quem auditorem habui diligentissimum, assiduum me in posterum tanquam patronum splendidum suspicaturum esse. Si enim illud verum est, quod in proverbio dicitur: dat Iustiniānus honores, si splendor natuitatis, si profunda et in dies adhuc mirifice crescens Juris cognitio, quam in TE semper miratus, summisque extollenda est laudibus, si indefessa lucubratio in utilitatem reipublicae, si omnium denique virtutum cumulus summis reipublicae honoribus tanquam praemiis rite promeritus condecorari soleat ego TE in celerrimis iam dignitatibus versari video. Quod reliquum est TE humanissime rogo, vt eam mihi benevolam mentem in posterum serues, qua me hucusque persecutus es. Scrib, Trai, cis Viadr.

d. XXI. Non. MDCCCLXXVI.

*) vid. GREG. MATANSII epist. lib. IV. epist. 4. (Valent. 173.)

AMICO

AMICO SIBI CCNIVNTISSIMO

CHRISTIANO ALEXANDRO VIVIGENTZ
DE WINTERFELD

S. P. D.

M. ERNESTVS CAROLVS WIELAND

REGIAE SOCIETATIS SCIENT. ET ARTIVM FRANCOFVRT. ASSESSOR.

Placet illud Ciceronis in Lib. I. de Leg. effatum, vbi: „Natura“ inquit „iuris nobis explicanda est eaque ab hominis repetenda natura; confide „randaes leges, quibus ciuitates regi debeant; tum haec tractanda quae „composita et descripta sunt iura et iusfa populorum.“ Luculenter enim hoc loco in vnicam innuit viam Tullius, quam si sequamur, fieri plane non potest, quin solidam nobis comparemus artis legitimas notitiam. Prima scilicet, vbi in doctrina de eo quod iustum est arque iniustum, veritas, aeternae illae leges occurunt, ad quarum normam natura ratione arque intellectu praedita suas componere iubetur actioes. Illas igitur leges, in nullo aere in nullo marmore descriptas, ex intimae scientiae humanae sacrario, in quo quasi demerae iacent eruamus! illas ob oculos nobis collocemus, quas que cum legum ab hominibus conditarum placitis conferamus diligenter. Quo facto iuris humani sanctiones, praecipue vero etiam veneranda illa antiquitatis monumenta, Romanorum inquam iura, novo quodam et insigni collustrabant splendore. Satis enim exploratum est, tunc demum perfecta dici posse ea quae legislator homo introduxit iura, vbi tum iustitiae naturalis faciem prae se ferunt, tum vero etiam rerumpublicarum in quibus conduntur formulis ex ase respondent. Sed quid multa? Tu ipse Amicorum Dulcissime! satis notum habes quam arcto iuris naturalis studium cum iuris humani notitia cohaereat vinculo; Tu ipse mira quodam assiduitate iuris naturalis arcana scrutari, eodemque ardore in iurium quibus utimur positiorum rationes et historiam inquirere solitus, egregio Tuo exemplo satis ostendis, quam laetas iis expectare licet mes- tes, qui illud Ciceronis in tractanda iurisprudentia sequuntur consilium,

Iam enim peragrato vastissimo iurium campo in ipso almae Themidos lamine consistis, perpetua quae res bene paeclareque gestas sequitur laude, perennique decorandus praemio! Ex animo itaque *Tibi* gratulor supremos ad quorum fastigium eruditione *Tua* *Tibi* viam parasti, in arte nostra honores; gratulor iurisprudentiae de praesidio, illustri denique genti *Tuae* quam tanta nuper immortalis ille heros exornauit gloria, de viro gratulor qui nouum nomini suo apud posteros decus conciliabit. Id solum restat ut nostrae etiam amicitiae, qua nihil mihi est antiquius mutuque officii *Tibi* commendem memoriam. Ita vale et me ama. *Lippsiae Prid. Nonar. Nouemb. A. R. S.*

COLLOCCCLXXVI.

CON-

CONSULTISSIMO. AC. DOCTISSIMO.

DISSERTATIONIS. AVCTORI.

S. P. D.

MEMBRA. SOCIETATIS. QVAE. EXERCITIIS. DISPVATORIIS. CVM. EO VACAT.

CAROLVS. FRIDERICVS. VILELMVS. AVGVSTVS.

VATER.

JOSEPHVS. LVDOVICVS. SCHLOEGEL.

CAROLVS. PHILIPPVS. ERNESTVS.

L. B. DE VERNEZOBRE.

*V*trumque sine dubio et addiscere iura et applicare ad facta obuenientia non cuiusvis est, qui Themidos sacra intrare audet. Alterum enim ingenium acutissimum vix absque indefessa industria, alterum vero idem haud sine dexteritate animi ab omni partium studio remoti vere recteque perficere potest. Sed si quis vnquam fuit, cui ad vtrumque hoc adspicere licebat, *Tu* certe es, *Commilito praestantissime*, in *quem* diu mysteriis suis initiatum larga manu dona sua profudit Themis. Per integrum, et quod excurrit, quinquennium, alias laudatum, inauditum tamen nostris fere diebus studio iurisprudentiae academico, ingenii acumine suffultus, incredibili fane ardore inuigilasti, et nunc tandem certe haud eruda in torum propellabis studia. Contrigit nobis, quotidiana eruditio*nis Tuae* incrementa sensim perspicere, ita, ut quantus tandem euaderes, obstupesceremus. Vidimus *Te* in conuentibus nostris studio p[re]fertim iuris scientiarum destinatis, maximo quo poteras, ardore in vera et genuina principia iuris inquirentem, et ita iamiam saepissime testes eruditio*nis Tuae* non vulgaris inter priuatos parietes fuimus, cuius hodie publice delaranda benevolentia *Tua* nouiter testes assistimus. Quid, quaeſo, iucundius, quid magis exoptatum nobis obuenire posset, nisi *vnicus*, et qui est grauiſſimus, praecordia nostra penetraret dolor? Qui

K

con-

coniunctissimus inter amicos, optimus qui commilito et haud raro dux et magister in arduo iurisprudentiae addiscendae tramite nobis praeiuit, hunc mox absentem, mox eruptum nostris amplexibus, separatum a nostra consuetudine cogiramus! Sed unum amicorum dilectissime nobis relinquis, animum nimirum amicissimum, cuius memoria delectari, et quem vicissim erga Te seruare nobis sacrum sanctumque esto. En dulce solamen presso pectori! Te contra, vota nostra quam ardentera, usque dum spiritus nostri exulent prosequuntur:

Ab! potens rerum Moderator, ALMVS

TEQVE DILECTVM placido reducat

Sidere, ut caras remigres poternas

Integer aedes!

TE beer numen, nec iniqua TE fors

Vexer, ast astrum faueat secundum!

Praebeat tandem TIBI summa et ampla

Praemia virtus!

FRA

F R A T R I D I L E C T I S S I M O

S.

F R I D E R I C V S C A R O L V S A W I N T E R F E L D

V C A R O M . E Q V E S I N M E N K I N E T W O L S C H O W .

Obtigit tandem mihi quod dudum fuerat in votis, publicum specimen edere quanti *Tē* faciam. Certe nil exoptatus vñquam euenisset, quam suae illud opponentis munus in me suscipere, quo occasio praeberet monstrandi, quam dulce sit ab *amico fratre* in disquirendis rerum iuridicarum notionibus licet speciosissimiis argumentis discedere. Sane operam scientiae omnibus certe praeferendae collocasti, quae omnibus palnam praeripit. Quaerant alii in aliis laureolam; nōs *Themidi* addicti thura *illi* offeramus, cuius templum qui penetrauit, nunquam hercle deseruit. Nec vñlī haec a me dicta precario afflunta videbuntur, quem non fugit, quam insigni studio olim laudes huius scientiarum reginae detrectare ausus fuerim. Sane horrendum mihi iurisprudentiae fingebam monstrum, effigie longe tetrius quam juris patrii in litteratura iuris depinxerat *Clarissimus Hommelius*. Sed nunc elegantiori doctrina imburus tandem mihi licuit, venustioris Iurisprudentiae adipiscere vultum, nec ignotum mansit, quomodo hoc in iurisprudentia cadat, vt emolliat mores, nec feros esse finat. — Inficias ire quidem non possum, quin si ad id quod in iurisprudentia attigisti fastigium respicio, desperem illud vñquam assecuturum esse: Sed aemulatione excitatus, si etiam tempora non laureae cingant, tamen certa mihi mens est, laureato fratre praefide in rostris Academicis aliquando propugnare dissertationem. Interim vale, percipiisque studiorum fru-

ctus, quos *Themis* Tibi larga manu sparger. Dab. Francof.

ad Viadr. d. XX. Nou. MDCCCLXXVI.

K.3

VIRO

VIRO GENEROSISSIMO
S V M M O R V M I N I V R E H O N O R V M
C A N D I D A T O D I G N I S S I M O

S. P. D.

FRIDERICVS LEOPOLDVS RAVE.

272
Contemplanti mihi omnes illas, quibus polles virtutes, tanta fese eorum offert multitudo ut in qua parte *Te* magis admirer nesciam. Diuino instructus ingenio, summa per quinquennium adhibita diligentia et affiduitate talem *Tibi* totius iuris comparasti cognitionem qualē certe paucis expectare licet. Nam suffulcris omnibus iis adminiculis, quae ad elegantiorem sereniorēque iurisprudentiam pertinent, ipsos iurium fontes inuestigasti, eorumque vicissitudines prosecutus es, adeo ut nunc perspecta diuera iuris facie, et emenso toro eius campo, facilissimum *Tibi* sit ipsam detegere veritatem et de rebus arduis concinne differere. Mirabiliter praeterea in tanto virtutum splendore humanitate praeeditus, omnium facile animos occupas, adeo ut quamdiu hac in vrbe commoratus es, omnium qui *Tecum* versati sunt amorem *Tibi* conciliaueris. Sed nunquam mihi tribui *Vir Generosissime*, vt his in litteris de laudibus *Tuis* aliquid dicere, cum haec iam aliis occasionibus, quibus in publicam prodisti arenam a Viris, quorum iudicium in hac re certissimum est, celebratae fuerint; cum iam adsit festus ille dies quo, defensa hac *Tua* dissertatione, ingeni profecto acutissimi, elegantiorisque doctrinae documento luculentissimo, iustissima *Tuis* meritis collacabuntur praemia, cum Themidos *Tibi* conferatur sacerdotium. Gratulor itaque *Tibi* de hac *Tua* insigni gloria; gratulor genti *Tuae*; gratulor et mihi, quod eius amicitia vti mihi licuerit, quem reipublicae maximum aliquando extirsum esse ornamentum, certe scio. Haec sunt quea pro salute *Tua* sentio et non nisi has addo preces; vt illi quem hucusque amici nomine non indignum existimasti, in posterum fautoris tutelam non deneges. Vale. Dab. Trai. cis
Viadr. d. XXI. Nou. CCLXXVI.

Frankfurt a. O., Diss., 1776-97

ULB Halle
007 520 611

3



N 718

B.I.G.

Farbkarte #13



E.26. numm. 75.
1776, 17
7

HISTORIAM IVRIS CIVILIS
ROMANI
DE
DONATIONIBVS PROPTER
NVPTIAS

AVCTORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN ALMA VIADRINA

PRO
CONSEQUENDIS SVMMIS IN VTROQVE
IVRE HONORIBVS

PUBLICE VENTILANDAM PROPONIT

CHRISTIANVS ALEXANDER VIVIGENTZ
A WINTERFELD

EQVES VCAROMARCHICVS IN GVETERBERG
ET FALCKENHAGEN.

AD DIEM NOVEMBRIS MDCCCLXXVI.
IN AVDITORIO ICTORVM HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.



TRAJECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.